

J. ANDREAE SERRAI

APOLOGETICUS



NEAPOLI MDCCCLXXI.

Ex TYPOGRAPHIA RAYMUNDIANA

PUBLICA AUCTORITATE.

J. ANDREAE SERRAI

APOLOGETICUS

A D

JOHANNEM BOTTARIUM

VIRUM AMPLISSIMUM.

Ist ego recte scirem, Johannes Bottari
Vir Amplissime, probi & pudentis
hominis existimationem non ex san-
tionum, & calumniatorum obtrecta-
tionibus, sed potius ex recte voluntatis
conscientia, & ex virorum hone-
niorum judicio pendere; esset profecto, quod
magnopere hoc tempore commoverer. Nam quuma
prodissent tandem postrema duo volumina, de Eccles-
iae potestate acquirendi rerum dominium, que nul-
lius ipsa praeserunt auctoris nomen, vulgo autem
Thomae Mamachio ex Dominicana Familia tribun-
tur, leguisseque in illis plurima illa probra & men-
dacia, quibus me aggressus est; sensi, fateor, prin-
cipio exacerbati animi nonnullos stimulos. Intellexi
enim vere dixisse quemdam, habere contumeliam
querendam aculeum, quem pati pudentes, ac viu-
boni difficillime possunt. At quum querelas omnes illas

A 2 & cri-

4 J. ANDR. SERR.

& criminationes quam longissime a me abesse perspiccerem, palamque esset, per summam injuriam, hoc est, uno conviciandi studio scripta mea tuisse ab eo impedita; quid est, quod illius, aut cuiusquam alterius verear reprehensiones? Etenim quis unquam, vel innocentissimus, a maledicorum sycophantius tutum se se præstare potuit? An qui erga tot magnos Principes fuerit adeo contumeliosus, homuncio ego sperasssem apud eum nomen meum fore sacrosanctum? Præsertim quum a me prius laceratus (quod vel tacitus ipse fatis aper-te declaravit ipsa scribendi ratione) simultatis fusci piendæ, ulciscendæque injuriæ habuisse causæ adi-tratus sit. Usque adeo ne igitur hominem ægre habuit, quod in clarorum Catechistarum Dialogis prævaricatorem eum appellavi, ut una ulciscendi, & obtrestandi libidine, pudoris, & æquitatis nulla habita ratione, putidissimis mendaciis mihi confare vellet invidiam? Atqui facile demonstrabo, vel in eo ipso nullam a me in te, Mamachi, profectam injuriam. Nam quæ in mesanguiana causa de te narravi, ea tu adeo palam, atque omnibus inspectantibus Romæ egisti, ut, si omnes homines velint, obscura esse non possent. Nonne principio ad cælum usque extulisti Mesanguii catechesim? Nonne eam omnis clara pietatis uberrimum æque, ac tutissimum fontem predicasti; dignamque propterea esse, quæ a christianis omnibus in sinu gestaretur? Nonne deinde, postquam scilicet Clemens XIII Pontifex est creatus, protinus mutata velificatione, contra Mesanguium satis inimice & proterve decertasti? Nonne illius commentarios omnibus probris & maledictis lacerasti? Oblitus ne es, quæ tum fuerit in te amplissimorum præsertim virosum indignatio? Aude quidquam horum negare: universa, mihi crede, urbs in os tibi involabit. Atque eo maiore dignus animadversione unus, quam quisquam alius (recte, an secus, nihil ad me) apud cordatos vi-

APOLOGETICUS.

5

ros etque , atque apud sodales tuos habitus es ; quod ceteri Theologi constanter fecuti sunt , quod ex disciplinae sua decretis rectum atque aequum ipsis visum fuit . Erat enim contentio inter amplissimos Theologos . Vicere autem illi , quibus accessit justa Pontificis Max . sententia & suffragatio . Tua vero ratio , Mamachi , quam dissimilis ? Quum vero illud etiam accesserit , Theologum thomistam thomisticae doctrinæ propugnatori , integra re causaque , bellum tam nefarium inferre ; id adeo indignum facinus vim fuit , ut cum alii omnes , tum maxime iidem collegi tui nullo te odio non dignum putarent , nullis non onerarent maledictis . Hæc ego , quæ latere non poterant , & omnium sermone , ac scriptis etiam erant pervulgata , mesanguianæ causæ historiam narraturus , pro instituti mei ratione , tacitus præterire qui poteram ? Quid igitur facerem ? Rem ut levissime potui enarravi . Num potui parcus ? Parcus dico ? Tecum egisse puto non fecus , ac si meus esses frater . An ob unam *prevaricatoris* voculam , quæ , ita me Dens amet , non mea , sed tuorum sodalium prorius fuit , tantas turbas te agere ? Nec modo acerbitate me infectari , sed calumniis etiam indignissimis onerare ? Non illud saltē cogitasse , sin minus mihi , homini certe , dignitatique tuae te parcere debuisse ? Vide , quælo , ne in te prudentes non modo christianam caritatem , sed hominis etiam liberaliter educati officium desiderent . At sanctis Patribus adveriarios suos acrioribus maledictis exulcerare licuit . Audio . Id enim a te pluribus verbis iactatum . Quasi vero unquam sancti Patres calumniis , & falsis criminibus in odium & invidiam quemquam vocaverint . Aut non sit ista in Græcorum levitate perversitas , qui maledictis infectantur eos , a quibus de veritate diligunt . Sed hoc totum agetur fortasse alio loco .

Nunc quod ad rem attinere puto , Bottari sapient-

A 3

J. ANDR. SERR.

tissime, quanquam ego non ignorem, obtrectatorum
maledicta non magni esse facienda, quæ potius optimus
quisque contemnenda semper duxit; quia tamen Mamachius injuriosum me quodammodo effinxit in
sanctissimam matrem Ecclesiam, quam, si quidem christiani videri, atque esse velimus, unice diligere ac
revereri ex animo debemus; valde quidem verendum
mihi est, ne dissoluto animo esse videar, qui hu-
jusmodi criminationem quum videam, tacere, ac ne-
gligere possim. Quare hoc mihi omnes concessuros
puto, ut me adversus calumniarum plenam accusati-
nem defendam: maledictis fortasse maledicta repen-
dendo? Minime id quidem. Esse namque considerati
hominis semper existimavi, qua de re jure & argu-
mentis decertari oporteret, contumeliis non contendere.
Quod eo vel maxime in me ipso statuen-
dum judico, qui Dei benignitate christianum me,
& catholice Ecclesiaz alumnum & ministrum esse
profiteor. Igitur etsi provocatus, non agam cum eo
accusatorie. Iniquitatem ejus in me accusationis
dumtaxat palam facere propositum est. Atque hoc
etiam magis id necessarium arbitror, qui tibi gra-
vissimo atque integerrimo viro satisfacere cupis reque
adhibere arbitrium & judicem, cui rationem doctrinæ
& totius facti mei probem. Etenim quum duode-
cim totos annos, hoc est, quousque Romæ fui, do-
mum tuam ventitasse, tuaque singulari humanitate
factum esset, ut a te potissimum meliora doctrinæ
narum præcepta acciperem, summopere mihi ca-
vendum est, ne tuæ ego alumnus sanctissimæ disci-
plinæ, Mamachii injuria, aliis parum probata doctrinæ
vel minimam præbeam suspicionem.

Intelligo, doctissime Bottari, illud fuisse Mama-
chii institutum, ut universa, quæ hactenus edita sunt,
scripta mea quacunque ratione carperet ac vexaret. Ita
notandum suscepit librum de sacris Scripturis, item
Ad-

APOLOGETICUS.

Adnotaciones in Stephani Patritii Regii Consiliarii Consultationes, & præterea libros tres, sive Dialogos de claris Catechistis. Miror sane Commentarium omisisse De vita, & scriptis J. Vincentii Gravinae, Romæ typis vulgatum, in quo certe non desuissent, quæ censor diligentissimus reprehenderet. Sed maxime omnium petitiones omnes suas, tanquam venenata quædam tela, in Adnotaciones ad Patritianas Consultationes contorsit. Plurima in illis esse contendit, quæ partim imperite sint scripta, partim falsa & mentita, partim etiam erga Ecclesiam injuriosa, atque ~~de~~ etiam hæresi proxima: nam hæretica omnino appellare non audet. Gravis nihilominus criminatio, si vere objiciuntur, vehementis accusatoris; si falso, maledici convicatoris. Sed quum accusationem omnem ex furiis percito ejus animo, ac injuriaæ ulciscenda nimia libidine, omnino proficisci perspicuum sit; facile quivis ea omnia turpissima esse mendacia, & commenta delirantis hominis, deprehendet. Neque hic commemorandum puto, quas mihi minus puras latinas dictiones, & alia ejus generis objecit. Tantum dico, esse nonneminem, qui existimat, hominem Chium, qui theologum sese valaret, & res maximi momenti pertractare profiteretur, dum Orbilii personam induit, rem prorsus supervacaneam, vel potius ridiculam gessisse. Usque eo ne sibi obtrectandi materiam deesse putavit, ut ad istas etiam ineptias & quisquilias descendere? Næ ille frustra erit, si me ad contentionem grammaticarum vocare meditetur, quam aliis remittendam censeo: veniendumque rectius ad illam, ad quam me res ipsa ducit.

Tota igitur accusatio, quantum quidem ex incondita illa verborum coacervatione colligi potest, duas omnino habet præcipuas partes, ad quas cetera omnia referuntur. Dolet enim in altera, atque et-

A 4 iam

J. ANDR. SERR.

sam criminatur Mamachius , me in Adnotationibus
divitias in sacro Ordine improbandas censuisse . In
altera arguit , male opinasse , qui ibidem scripsierim ,
nihil tantopere sanctos Patres in Monachis , quam ma-
num opus commendasse . Huc prorsus referri postula-
tiones omnes suas opinor : inque duobus his capitibus
nefaria crimina contineri insimulat , ut nullo me
piaculo expiari posse arbitretur . Quin etiam quum
rem omnem arbitratu suo enarrasset , incredibile di-
ctu est , quam miris modis non modo sententias , sed
singula pene verba traducat . Utriusque igitur accusa-
tionis iniquitatem demonstrare mea interiesce . Ne-
que id multis verbis faciendum reor : neque longa
implicataque disputatione opus est . Satis enim fore
arbitror , res paucas in medio ponere , quæ tantum
ipse habent perspicuitatis , ut neque mea , quæ nulla
est , neque cujusquam alterius eloquentia requiratur .
Idque multo luculentius ita esse deprehendetur , si
pauca prius de genere toto , deque instituto meo ,
quod omnibus in scriptis meis , ac præsertim in Ad-
notationibus servavi , dicam . Ego , Bottari , sic a sa-
pientibus viris accepi , divinum Præceptorem nostrum
Christum Dominum , Deum ipsum , ac Deo Patre na-
tum , pariterque ab eodem edictos sanctissimos
Apostolos , mortalibus , non eadem prorsus cunctis , sed
pro hominum conditione , & ordinis diversitate ,
diversa quoque ipsis statuisse bene vivendi præcepta .
Quod in ipsorum divinis scriptis plane cernimus :
ex quibus appetet , pro personarum varietate , hoc
alii facere licere , alii non licere . Itaque Christum ,
& Apostolos non ubique eadem ratione , sed varie ,
pro status varietate , intueri oportet : ac pro ea di-
versitate distinguenda omnino est ratio officiorum .
Christus enim , & Apostoli fuere primo cives , &
membra reipublicæ atque ut cives iidem & ipsi in homi-
num societate existentes , civilium sicuti onerum ,
ita

APOLOGETICUS.

Ita quoque facultatum, & aliorum fuere participes
commodorum: singulaque civilia officia rite exe-
quentes, homines eadem opera, & probos cives, &
justos christianos exemplo suo efformare statuerunt.
Deinde alia etiam ratione Christus, & Apostoli con-
siderandi sunt, scilicet ut supremi Ecclesiae Pastores,
ad christianos omnes salutaribus non modo exemplis
virtutum, sed præceptionibus ad bene pieque viven-
dum instituendos præpositi. Quo nimurum nomine
illis facultates, & idoneas opes possidere, ne dum fas,
sed conveniens, ac necessarium fuit. Oportebat enim
habeant unde seipso, & ceteros sacros ministros, ut
pote divino ministerio penitus mancipatos, alerent,
& infirmis etiam, aliisque egentibus opeim præbe-
rent. Ita Christus, & Apostoli loculos habuisse
narrantur, eaque omnia, quæ in IV Actorum capi-
te leguntur. Ita D. Paulus (1) de Christianorum
oblationibus alimenta percipiendi se habuisse potesta-
tem, licet ea minime sit usus, scribit. Ita quoque
eadem prorsus de causa Pastores Ecclesiae, liberali-
tate religiosissimorum Principum, divitiis auctos cer-
nimus. Ac denique Christus cum Apostolis nobis
se exhibent ut magistri, & exempla evangelice
præfectionis, nempe ut mundi contemptores, &
humanarum illecebrarum, & vanitatum osores: exem-
plique suo docentes, quid facere eos oporteret, qui
non modo communem cum ceteris justitiae ratio-
nem sequi, sed insuper, quod ulterius ad præclaram
quamdam, & summam virtutem pertineret, ultro
complecti voluerint. Atque ad istud prorsus institu-
tum referenda sunt documenta perfecti christiani,
quæ passim in sacris Scripturis leguntur. Christus
enim Rex pacificus, quique Apostolos suos pacis filios,
non litigatores instituere voluit, omne ab eis re-
pel-

(1) 2. Thessal. 3. 9.

J. ANDR. SERR.

pellendum curavit judicio certandi studium. Quo sane illud pertinet, quod apud Matthæum cap. V ipse ait: *Et qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, probe ei & pallium.* Et apud Lucam cap. VI. *Ab eo qui auferat tibi vestimentum, & tunicam, noli prohibere: & qui auferat qua tua sunt, ne repetas.* Alibi autem rem totam his disertissimis verbis complexus est: *Si vis esse perfectus, vade, vende universa qua habes, & da pauperibus.* Matth. cap. XIX. Qua plane sententia Christus non modo a se, quippe qui omnia quæcumque docuit, opera etiam, & re ipsa efficit, sed a se quoque, quibus ea mandaverat, omnem removet rerum mundanarum dominium & proprietatem, atque unam illis commendavit terrenarum facultatum abdicationem. Propterea D. Petrus tum de se, tum de ceteris aliis collegis suis Apostolis ait: *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. cap. XIX. Atque idem fuit qui alibi inquit: *Argentum, & aurum non est mihi.* Acto. cap. III. Ut paucis rem omnem expediā, nulla res propemodum in sacris litteris testatior esse videtur, quam ad eum perfectorum ordinem unam spectare divitiarum abdicationem. Quid igitur? Ut erant ipsi exempla perfectæ virtutis, nihil Christi, & Apostolis fas percipere de terrenis bonis? Nequaquam. Nam utcunque & in se ipsis effinxisse, & ceteris commendasse documenta evangelicæ perfectionis constat; nunquam tamen ab se, atque ab aliis abalienaverunt, quod homo, dum vitam vivit, naturali jure ad sui conservationem desumere potest. Id unum ex eo effici contendimus, tantum illis licuisse de terrenis rebus percipere, quantum, eodem Christo nusquam id vetante, ad vitam sustentandam sine deliciis satis esset: quodque dici poterit jus utendi: præterea nihil. Quod præclare significavit D. Paulus, quum inquit: *Habentes alimenta, & quibus te-*

regemur, his contenti sumus. I. Timoth. cap. VI. Hanc Christi in condenda Ecclesie arbitror fuisse formam & institutum.

Quid adversus haec inquiet Mamachius? Excutiat se le licet, opinor nihil in iis quod jure reprehendat, reperiet: quippe ea omnia rite constituta esse, nemo, qui sapit, inficiabitur. Atqui eo delectu rerum, & personarum, quem modo dixi, constituto, facile inde omnia deducuntur, quae non modo singulas contra me congregatas criminationes diluent, sed ad universum Mamachii opas a fundamentis exterritum satis erunt. Sed quum mea non sit insigilli de genere toto mamachianæ disciplinæ disputare, in rebus tantum meis permanebo. Sed prius explicandum quod ex illo Christi instituto necessario sequitur. Quum igitur Christus Dominus duplice omnino hominum ordinem constituerit, iustorum alterum, alterum perfectorum; hominibus, pro cuiusque ordinis diversitate, diversa quoque, ut ante demonstravimus, officia, & præcepta attribuit. Universæ quidem justitiae præcepta ad omne prorsus hominum genus per seque pertinere voluit, quam justitia propria sit hominis, ac fundamentum humanæ societatis. Quare quum ab eo quidam rogasset, quidnam ei esset faciendum, ut æternam beatorum felicitatem adipisceretur, nihil aliud respondit, quam, Servi mandata, ea scilicet, quæ generalis justitiae officia in Decalogo tradunt. At vero perfectorum ordini alia insuper addidit præcepta præstantissimas, cujusdam virtutis, nempe omnem rerum mundanarum abdicationem. Si vis, inquit, esse perfectus, vende universa que habes, & da pauperibus. Completæ nimurum, necne, perfectorum vita genus, in hominum reliquit potestate: confilium tantum dedit. At qui semel propositum perfectionis suscepere, presertim si sacramento ad id se obligaverint, jam

jam non amplius illud erit consilium , sed præceptum :
 jam non arbitrario , sed necessario exequi perfectionis
 officia debent : jam qui opera perfectæ vitæ præte-
 reunt , culpa quidem non carent . Quæ distincta offi-
 ciorum genera quodammodo adumbrarunt etiam ve-
 teres Philosophi : ex quibus Stoici aliud esse *καθηκον*,
 hoc est , officium commune , sive medium ; aliud
καριβωμα , nempe officium perfectum esse tradide-
 runt . Hoc prorsus esse institutum Christianorum a
 majoribus illis nostris , & sanctissimis ducibus sa-
 pientissime constitutum , ambigi certe non po-
 test .

Quibus rebus expositis , jam ad querelas & crimi-
 nations Mamachii propius accedamus . Arguit
 nempe , perperam me improbasse divitias , atque adeo
 theologiae imperitia in Manichæorum errorem pro-
 lapsum , qui divitias uniuerse , ut ex malo illo
 principio exorientes , damnarunt . Si in eo ullum
 crimen est , fateor me prorsus ignorare theologiam
 mamachianam : nam mamachianæ theologiae pro-
 prium est , diversos hominum status & conditiones per-
 permiscere , ac distinctos Christianorum ordines ,
 contra Christi institutionem , eodem loco , ac sine ul-
 lo discrimine accipere . Divitias ego , mi Mamachi ,
 nunquam universè improbavi . Didiceram enim jam
 pridem a sapientibus quibusdam viris , divitias com-
 moda plurima afferre reipublicæ : nec sine facultatum
 ope stare posse imperium . Christum vero , qui rei-
 publicæ statum non convellere , sed eo vel maxi-
 me stabilire professus est , nunquam ab hominum so-
 cietate universè ab iudicasse divitias , nec in augendis
 opibus , utilitatibusque & sibi , & suis comparandis in-
 dustriam improbasse , palam est . Traditum quoque acce-
 peram a sapientissimo viro Clemente Alexandrino ,
 divitias bene partas nihil quidquam habere vitii ; obesse
 vero male partas , & earum inexplicabilem cupiditatem .

Pul.

Pulchre ergo (inquit in Stromat. Lib. III) non prohibuit Dominus esse divitiam, sed esse divitiam iuste, & inexplebiliiter. Eamdemque sententiam pluribus ac disertissimis verbis declaravit in eo commentario, ubi apposite expendendum suscepit, quis dives salutem consequi possit (1). Constanterque suis in scriptis eo disciplinam omnem suam refert, divitias

(1) Non ergo abicienda pecunia est, qua & in proximi cedat utilitatem: etenim χ ρων possest est, quod ejus ea indoles est, ut possideatur: χ ρων quoque grece, quod utilia sunt, & humanis usibus a Deo acommodata. Porro divitiae ac opes praesto sunt, subiacentque velut materia quedam & instrumentum, boni usus prestanti causa his, qui vino instrumentis sciant. Sic si ex artis rationibus utaris, artificiale est; si arte careas, imperitis tua labore contrahit, quam sic ipsum ab omni immune culpa. Tales divitiae quoque sunt: instrumentum sunt. Potes illis uti justitia consiste? Ad justitiam minister sum. Utetur quis illis ex non comite? Minister rufus fuit iniustitia. Divitiae enim ex indole est ut inservient, non ut praeire, aut imperari. Quum igitur opes ex se neque bonum, neque malum habeant, atque omni vacent criminis, haud ipsae vituperanda sunt, sed quod suo arbitratu, & a se illis bene, aut mala uti posset; mens scilicet humana, ac judicii facultas, cui liberum sit, qua ratione uti velit ad usum concessis. Nemo igitur divitiae & opes & non magis animi affectus ac perturbationes destruat, per quas non licet usi facultatibus in bonis virtutis; quo nimirum bonas quis ac probus effectus, his quoque divitiae ac pecuniis probe enique honesti ratione uti ille possit. Quod igitur cunctis opibus remuniriare jubemus, & ut que in censu sunt omnia vendamus, in hunc modum intelligendum est, ut de affectibus, & animis ac perturbationibus dictum accipiatur.

tias comparare nefas non esse, modo divites in augeanda re, non avaritiae prædam, sed instrumentum beneficentiae quærant. Cui addam testimonium D. Hieronymi, qui in epistola ad Salvinam sic scribit: *Nec divitiæ obsunt opes, si eis bene utatur: nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes & inopiam peccare non deserat.* Cujus rei illustria addit exempla. Ita divitias universe in republica possidere, non solum contra officium non est, sed nihil magis est secundum officium, quam præsto esse eas facultates, sine quibus reipublicæ incolumentis & salus existere non potest. Ac jure proinde damnandi Machichi, si unquam de divitiis non recte sensere. A quibus igitur abhorrent divitiae? Ab iis nimirum, qui, ut supra demonstratum a nobis est, uni ex duabus christianæ societatis ordini addicti, dum sanctioris, hoc est, perfectæ vitæ genus sequi volunt, rerum superfluarum abdicationem non verbo tenus, sed reipla profitentur. Huic, inquam, hominum generi divitiae adeo vehementer adversari videntur, ut quid magis eorum vitæ instituto sit infestum, intelligi facile non possit. Abjectis enim terrenis facultibus, in sancta debent paupertate vitam degere. Cujus præclaræ vivendi formæ imaginem consicere nobis licet in præcis illis Hierosolymæ christianis, qui ultro non modo facultates omnes suas, sed indultriam quoque, & oneram suam bona fide & sine fraude in commune conferebant, ab Apostolis deinde accepturi quod ad vitam futurandam satis esset. Nec partem duntaxat facultatum perfectos illos christianos, sed integras tradere, oportuit. Tradere, necne, liberum ipsis erat, sine religionis violatione. Qui vero suscepserant perfectionis propositum, non aliquæ, sed cunctæ res repudiandæ ipsis erant; ita eadem de re monente Hieronymo in epistola ad Julianum: *Vade, inquit, & vende non partem substantie,*

sed

sed universa, que possides. Propterea Ananias cum Saphira, quod Spiritui Sancto mentientes, partem pretii ex dividito agro sibi retinuerant, gravissimas suæ temeritatis dedere poenas.

Horum profecto Christianorum vitæ genus, gravate licet id ferente Mamachio, ad imitandum sibi deinde proposuere Monachi. Propterea D. Hieronymus Paulino vitam monasticam complecti cupienti, hæc in sua ad ipsum epistola dedit præcepta: *Denique O tu, audita sententia Salvatoris, Si vis perfectus esse, vade, vende, omnia qua habes, O da pauperibus, O veni, sequere me; verba vertis in opera, O nudam crucem nudus sequens, expeditior O levior scandis scalam Jacob. Tunicam mutas cum animo: nec pleno marsupio, gloriofas fordes appetis; sed puris manibus, O candido pectore, pauperem te O spiritu, O exeribus gloriaris.* In eamdemque sententiam scribitum sæpe alias, tum in epistola ad Heliodorum de landibus vita solitarie (1). Veterumque Monachorum

in-

(1) *Si vis perfectus esse, vende omnia tua, O da pauperibus, O veni, sequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam quum derelicta militia, te castrasti propter regnum celorum, quid aliud, quam perfectam secutus es vitam? Perfectus autem servus Christi nihil, praeter Christum habet; aut, si quid, praeter Christum habet, perfectus non est. Et si perfectus non est, quum se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est. Os autem, quod mentitur, occidit animam. Igitur, ut concludam, si perfectus es, cur bona paterna desideras? Dominum sesellisti, si perfectus non es. Divinis Evangelium vocibus contonas: Non potestis duobus dominis serviro. Et audet quisquam mendacem Christum facere, manumq[ue], O Domino serviendo? . . . , Ex hac sup-*

p[ro]p[ter]e

institutum postea sequi professi sunt quotquot religioſæ , nempe perfectæ vitæ rationem , votis nuncupatis, amplexi , Religiosi , & Regulares , ſive Cœnobitæ appellantur . Nimurum Cœnobitas ad eum Christianorum ordinem omnino pertinere , perspicuum eft , cui propositum eft vitæ perfectionem ita profiteri , ut inde ad perfectam caritatem pervenire poffit : quam perfectam caritatem , ut ait D. Thomas (1) , ſi non te- neat , ad eam certe viribus omnibus contendere debet . Atqui , ut idem monet Thomas (2) , *Ad per- fectionem acquirendam primum fundamentum eft vo- luntaria paupertas* . Probe enim noverat sanctissimus Doctor , ſublata rerum mundanarum abdi- catione , interſeptam proſlus eſſe omaem ad per- fectionem caritatis viam . Nam perfectum fore ne- mo sperare poteſt , niſi qui noverit domitas habere cupiditates . Ad cupiditatem autem , nempe ad r- rum noxiarum ſtudium , magno incitamento ſunt opes , quæ ſimul cum anxiis infinitisque curis , homini invitamenta ſuggerunt omnium malorum : animusque de ſuo tranquillitatis ſtatu deturbatus , haud ita faci- le pacis poſſeſſionem recuperabit , niſi ſeipſum quo- dannmodo ab alienans , voluntariæ paupertatis firmiſſimum praefidium ſibi comparaverit . Quam perfectionis depravationum ſapentiffimi viri , idemque sanctiſſimi , ex opum abundantia maxime deduxerunt : ſta- tue-

putatione illa ſumma nafcitur , Monachum perfectum in patria ſua eſſe non poſſe : perfectum autem eſſe nolle , delinquere eft.

(1) *Ipsa perfectio caritatis ſit finis ſtatus Reli- giosi & ideo ille , qui ſtatutum Religionis af- ſumit , non tenetur habere perfectam caritatem , ſed te- netur ad hoc tendere , & operam dare , ut habeat ca- ritatem perfectam . 2. 2. q. 186. art. 2. in C.*

(2) 2. 2. q. 86. art. 3.

queruntque divitias in cœnobitico ordine esse velut quodam pestiferum virus, quod universam monasticam virtutem lethaliter corruptit. Agedum, recita Alexandri III P. M. testimonium: *Recolentes qualiter (1). Recita Arnoldi Abbatis Lubecensis:*

B

Gre-

(1) *Recolentes qualiter hec plantatio sancta, hac vitis fructifera, hac denique vinea Domini Sabaoth, sub primis Ordinis patribus pullulavit; & palmites longe lateque producens ad mortisera circumquaque venena pellenda protulit flores, & odores effudit; per vigili custodia custodiatis eorum in omnibus inherere vestigiis, per quos, cooperante Domino in deserto hujus mundi flos hujuscemodi plantatus est honestatis. Hi enim monastice frugalitatis contentissimi, optimum ponentes in paupertate principium, totius sufficiencia assecuti sunt complementum, Ecclesiae cari, Episcopis, & Prelatis accepti, atque in conspectu Regum ac Principum fama, & merito gloriosi. Nunc autem, quod dolentes dicimus, et si non ab omnibus negque in omnibus, a plerisque tamen, & in pluribus ab illa sancta institutione dicitur declinatum in tantum, ut aliqui ex vobis prima institutionis oblii penitus, vel ignorantia contra Ordinis vestri Regulam, villas, molendina, Ecclesiæ, & altaria possident, fidelitates, & hominia suscipiunt, justitiarios, & tributarios tenent, & omne studium adhibent, ut termini eorum dilatentur in terris, quorum conversatio debet esse in celis. Leditur hinc Ordo penitus, & vitatur (nec est mutatio dexteræ Excelsi) quim imo potius de dextera transeunt in sinistram; qui quum, relieto seculo, sub paupertatis habitu Deo militare decreverunt, in negotiis denuo secularibus implicantur. Indo est, quod vobis ab iis, qui foris sunt, contentiones, & litigia suscitantur, & Abbatibus in causis forensibus*

Crevit possessio (1). Recita Tritemii : *Posteaquam census Monachi* (2). Sed quid plura recitentur, quum huiusmodi querelarum plena sint sanctorum virorum volumina? Quorum ego sententiam verbis meis, ut potui, non obtrectandi animo, sed, ut probum decet christianum, quodam purioris disciplinæ studio, exprimere conatus sum. Num quod

bus occupatis, plurimum in commissis domibus, & temporis Ordinis, & dissolutio nascitur charitatis, maxime quia charitas in paupertate plus proficit, & cupiditatis designata consortium, nisi illa restinguatur, haec tempestivit. Ideo sanctum ac venerabile collegium vestrum precibus, & monitis, quibus possumus, exhortamur; quatenus domus ille, que a prima sui origine in Ordine ipso sunt fundatae, constitutis & ordinatis terminis sunt contente; nec velint inordinate ad ea manus extendere, quæ sine laboribus, & periculis multis, & demum sine criminibus, & magna consuptione non poterunt retinere. Cap. 3. II. de statu Monach.

(2) **Crevit possessio**, & evanuit religio: siquidem ex temporalium abundantia, dum cœperunt carnaliter vivere, cœperunt etiam carnaliter sapere: resfixit caritas, subintravit mundanitas. In supplemento Hemoldi l. 3. cap. 3.

(2) **Postquam census Monachi habere cœperunt**, & reditus, pristina mox humilitatis studia desecerunt, crevitque paulatim cum divitiis rerum temporalium superbia. Quamdiu fuerunt pauperes Monachi, Deum in veritate coluerunt: postea vero quando divitiis abundare cœperunt, simplicitatem fugavit duplicitas. Integritas namque observantie regularis abundantiam peperit rerum temporalium: sed paulatim divitiae Monachorum puritatem ordinis funditus extinxerunt. *Homil. VII.*

quod ego enunciavi verbum , quod illorum sententiae repugnaret ? Profecto nullum invenies . Ac proinde affirmasse non injuria videor , divitiarum possessionem abhorrire , atque alienam esse ab ea virtutis perfectione , quam cœnobiticæ vitæ cultores profitentur , aut minimum ad eam debent contendere . Nec quidquam profecto erat , quod me insulares , Mamachi , propterea quod scripsierim , divitias esse scaturiginem corruptionis & depravationis : inque eo nugari etiam voluiſti , at quam inscite ! Hæc si tibi dicta mea reprehendere placet , Mamachi , reprehendas prius necesse est testimonia eorum summorum virorum , quorum auctoritate quidquid scripsi , non male firmasse mihi videor . At inquires , vera paupertas , nempe abdicatio rerum omnium , sociam habeat necesse est mendicitatem . Mendicitatem autem nusquam Christum præcepisse appetet : semperque ea rationibus bene constitutæ Reipublicæ contraria habita est . Addet etiam quispiam , sapientes quosdam Imperatores pronunciasse , mendicitatem in valentibus & otiosis rem esse minime tolerandam , & furti speciem habere (1) . Sed quam ego intellico paupertatem , ea omnino est , quam item requisidere sapientissimi viri . Religiosam paupertatem appellamus illam , quam servarunt veteres illi Monachi , sive Cœnobitæ , qui ut minimo contenti , renui cultu vivebant . Quam rerum parsimoniam propriam omnino esse monasticæ professionis , affirmarunt sapientes viri : ut que ad vitæ frugalis usus opus essent , ii vel labore sibi compararent , aut etiam quandoque alicunde acciperent . Quidquid ultra vietus cultusque frugalitatem esset , indignum prorsus instituto suo existimarunt . Quod itidem ad alios , qui postea prodiere , Monachos pertinere , dubitari

B 2 non

(1) Cod. de mend. val. & Auth. de quæstior.

non potest. Quanquam enim Tridentinum Concilium in Sess. XXV, Cap. III, universe Cenobitis sere omnibus bona etiam immobilia possidendi facultatem tradidit; nunquam tamen divitias ita eis attribuisse credendum est, unde cenobiticae institutionis ratio ullam contraheret labem. Etenim idem est Concilium, quod ibidem jam Cap. I præceperat, ut Regulares omnes ad suæ professionis Perseverationem vitam instituant & componant: illud enim statuit veluti fundamentum & basis totius Regulareis disciplinæ, quod ni exacte fuerit conservatum, totum corruat ædificium necesse est.

Atque hinc facile quivis intelliget, nugatorium esse inventum, asserere, paupertatem Monachorum esse paupertatem spiritus, potius quam facultatum. Fieri ne potest, ut audeat quispiam, pauperem eum reputare, qui opibus supra quam satis est, abundet, modo spiritus præferat paupertatem? Non ita sane sentiebat Hieronymus, qui Paulinum in monastica vita instituens, inter alia illud præcipit, ut tunicam mutet cum animo, nec pleno marsupio, gloriofas appetat fordes; sed puris manibus, & candido pectore, pauperem se *&* spiritu, *&* operibus glorietur... nec simulare, vel ostentare jejunia, possessionum redditibus abundare, *&* vile jactare palliolum. Quæ quidem paupertas spiritus universe ad justorum ordinem pertinere videtur: salva enim, integraque justitia, licet christianis opes possidere, modo spiritum animumque divitiis non perinde mancipemus, ac si ad illas, tanquam ad summum bonorum, res omnes referamus. Quo pertinet illud: *Divitiae si affluant, nolite eorū apponere.* Eamdemque sententiam scienter admodum persecutus est Clemens Alexandrinus in eo, quem supra indicavimus commentario. *Quod igitur, addit, cunctis opibus renuntiare jubemur, & ut que in censu sunt, omnia*

omnia vendamus , in hunc modum intelligendum , ne de affectibus animi ac perturbationibus dictum accipiantur . Quæ quidem referuntur utique ad Monachos ; sed Monachorum ea est conditio , ut præter paupertatem spiritus , paupertatem etiam corporis , hoc est , eam , quæ re ipsa est rerum egestas & inopia profiteri debeant , sine qua perfecta virtus existere non potest . Nimirum religiosæ paupertatis ratio non in sola existit voti nuncupatione , aut inani opum abdicatione : sed ille demum vere pauper appellabitur , & erit , qui rebus ad vitæ usum necessariis parce utitur , supervacanea respuit , omnino vitam transigit in egestate . Nam , ut scribit D. Bonaventura in epist. I ad Provinciales , *sædum est , prosumque , summe paupertatis voluntarie professorem se asserere , & rerum penuriam pati nolle* . Sapienter sane , qui non ex eorum erat numero , qui leges captare , & calumniari didicerant ; sed rectius vir sanctissimus qua mente quidque dicatur , attendebat ; ac pauvertatem non verbo tantum , sed re expendebat . Similique in fallacia illud est , quod subicit Mamachius , divitias Monasteriorum non a singulis contrictari , sed Præfecti potestati demandatas , pro cuiusque usu , sine legis de paupertate violatione , erogari . Atque , ut ut agre tulisse videtur , illud certe non ausus est in dubium revocare , quod scripsi : *An non quotidie videmus in unoquoque Monasterio , singulos , atque universos pro facultate aut parcus , aut sumptuosius vicitare ? Contendit tamen satis cautum esse , quum facultatum administratio penes singulos de Monasterio non sit , sed penes unos Præfectos . Idem erit , ac si dices , pauperes reputandos Cœnobitas , modo pecuniam ne attingant . Nil ergo pauperius Regibus , qui pecunias fere manibus suis non tractant , sed in erogandis sumptibus opera utuntur ministrorum . Non pudet in*

ista tam frigida , tam jejuna calumnia delitescere , & præstigiatorum prorsus arte illudere sanctissimis legibus , & circumvenire earum sententiam , modo verba servari videantur ? An non , ut verbis utar . D. Augustini , melius esset non vorare , quam vorare , & non reddere ? Serm . 355 . Aut nisi de se ipso prorsus locutum videri velit Plautinum illum Cur lionem , dum act . IV , sc . II ait :

*Rogationes plurimas propter vos populus scivit ,
Quas vos rogatas rumpitis : aliquam reperiis
rimam .
Quasi aquam serventem frigidam esse ita vos pu-
tatis leges .*

Pergit nihilominus noster religiosæ paupertatis oror ; ac divitiarum patrocinium eo vehementius sustinere putat exemplo sanctorum Patrum , quales recenset Paulinum , Hilarium , Anastasium Papam , Chrysostomum , Ambrosium , Basilium , Augustinum , aliosque ; quibus nihil impedimento fuisse affirmat , quo minus & divitias possiderent , & viri sanctissimi haberentur , & essent . Ita prorsus Mamachius : qui quum in scriptis suis non rerum ullum habere delectum , non personarum didicisset facere discriminem ; nihil mirum si minus intelligat , quam frustra nobis opponantur ejusmodi nomina ; quamque nihil ad rem faciant . Paulinum , Hilarium , ceterosque , quos enumerat , viros fuisse admodum locupletes , vel potius facultatum Ecclesiæ procurationem gessisse , scio , & cum rerum opulentia , vita quoque singularem sanctitatem conjunxisse , etiam scio . At eos , velit nolit , ut Ecclesiæ Pastores agnoscere debet , cuius summae pietati nullam maculam divitiae absergere potuerunt : eoque nomine a christianis Principibus , aliisque piis hominibus ingentes opes accepisse constat . Invitus sane in hac

hac parte orationis moror: sic enim agi oportet cum
mercenariis. Cum Christianis vero, qui se servos inu-
tiles reputare debent, non est cur tantopere terrena
commoda ingerantur, qui copiosiorem in cælis mer-
cedem repositam expectare debent. Verumtamen
Pastores illi, quum omnem suam operam & cogitatio-
nes ad Ecclesiæ procreationem contulissent, nihil
ipsis suppetebat temporis, ut privatis suis rationibus
consulerent: quibus idcirco opera emolumento erat,
nec emolumentum sine multa impensa opera acci-
piebant. Aequum proinde, ac necessarium fuit
facultates, neque eas parvas, habere, quibus & se
sustentarent; & sacrorum ministris alimenta præbe-
rent; & egenis opem ferrent. At vero quam
dissimilis ratio Cœnobitarum, quibus, perfectionis
lege sibi indicta, quum omnem ab se abjecissent
terrenarum rerum caram, parce agere vitam, ac
duriter se habere propositum est? Quam disparem
Monachorum, & Clericorum conditionem recte in-
tellexit Hieronymus, qui in sua de Monachi
institutione epistola ad Paulinum sic ait: *Quod lo-
quor, non de Episcopis, non de Presbyteris, non
de Clericis loquor, quorum aliud officium est; sed
de Monacho, quandam apud sæculum nobili: qui id-
circo premium possessionum suarum ad pedes Apostolorum
posuit, docens pecuniam esse calcandam, ut humili-
ter & secreto vicitans, semper contemnit, quod se-
mel contempserit.* Et in epistola ad Heliodorum, *Sed
alia, scribit, ut ante perstrinxii, Monachorum est causa,
alia Clericorum. Clerici pascunt oves: ego pasco.*
Illi de altario vivunt: mihi, quasi infructuose arbori,
securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non
defero... *Mihi ante Presbyterum sedere non licet:*
illi, si peccavero, licet me tradere satane in interi-
tum carnis. Inque eamdem prorsus sententiam scri-
bit D. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Ab-

batem (1). Multoque perversius agit Mamachius, dum eodem etiam traducit exempla & facta temporalium Dominorum: nam illud contendere scriptis suis videtur, si Monachis divitiis frui non licet, id ne seculi quidem divitibus licere; nempe igitur non esse indignum Cœnobitis æmulari fastum & magnificentiam locupletum, & Dynastarum. O rem indignam! Hoc enimvero vix credibile videtur, Mamachium voto paupertatis alligatum, tam audacter, ut levissime dicam, & propalam agere mammonæ patronum, ut ne mandanarum quidem pomparum eos expertes esse velit, quorum institutum est, superfluas res omnes eurare, vitamque duriter, & in corporis animique perenni afflictione agere. Ita ne vero? Ne ibi quidem discrimen admittere vult, ut sit nonnulla dissimilitudo inter profanorum, ac Cœnobitarum institutum, ac distincta sint genera officiorum, & dispares rationes? Nam quanquam Christianos peraque omnes justos esse debeat; & nemini iustitiae, hoc est, Decalogi præceptis obtemperanti, salutis spes eripiatur; Cœnobitas autem præter communia iustitiae præcepta, præceptis insu-

(1) Illud autem interrogo Monachus Monachos, quod in gentibus gentilis arguebat: Dicite, ait ille, Pontifices, in sancto quid facit aurum? Ego autem dico: Dicite pauperes (non enim attendo versum, sed sensum) dicite, inquam, pauperes, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum? Et quidem alia causa est Episcoporum, alia Monachorum. Scimus namque, quod illi sapientibus & insipientibus debitores quum sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamenti. Nos vero qui jam de populo exivimus; qui mundi quæque pretiosa ac speciosa pro Christo reliquimus &c. cap. XII.

insuper perfectionis, quam votis nuncupatis propositam habent, parere debere, quis ausit dubitare? Itaque sicuti a iustitia minime abhorret possessio divitiarum, ita eadem cum cultoribus perfectæ virtutis immane gerunt bellum. Ita fit, ut nemo non videat, qua ratione divitiae justo non noceant, noceant perfecto, atque adeo eum in exitium trahant. Unos igitur Coenobitas a divitiarum possessione excludendos; præterea Christianorum neminem? Captiosa quidem interrogatio: sed facilis ex haec tenus dictis est responsio. Opes profecto a Christianorum instituto universæ ablegandæ non sunt, quibus rite frui, Christum nusquam prohibuisse legitimus. Iisdem vero, ipsis Praeceptoris mandato, carere debent, quot quot perfecti esse voluerint. Ita quicunque Christum Dominum, & Apostolos ut evangelicæ perfectionis exempla ad imitandum sibi proponunt, sive solemni votorum emissione id fiat, sive privato quodam consilio, illorum neminem ea lege perfectæ paupertatis fore solutum arbitror, sive Coenobita fuerit, sive Monachus, sive Clericus, sive Laicus sive Pastor, sive etiam Princeps, quatenus scilicet eorum munera ratio illud fieri ab ipsis sinat. Christus, ut dictum supra a nobis est, institutum perfectionis non ut præceptum, sed ut consilium proposuit. Semel autem suscepso evangelicæ perfectio-
nis consilio, is, cujuscunque fuerit ordinis, omnes vitæ rationes ad illius præscriptum non consilio, sed lege exequi oportet. Putas igitur, Bottari, serione agere Mamachium, an jocari potius, quum ab Augustinî aliorumque exemplo, ad Monachorum ordinem deducat argumentum?

Sed nihilominus rursus in me irruit: me accusat. Ait me alio traduxisse locum D. Thomæ ex 2. 2. q. 84. a. 1, contra quam eum sensisse appareat. Depravatam scilicet a me exclamat sententiam magni

Dq.

Doctoris. Proh hominum fidem! Fieri ne potest, ut nunquam a suo instituto discedat? Numquam sit sui similis, ut in singulis pene verbis velit cavillari? Quid ais, bone vir? Loqui inibi Thomam de cupiditate divitiarum, atque adeo cupiditatem, non divitias ipsas improbase? Quidni? At vero ut confirmaret Thomas, cupiditatem divitiarum esse radicem omnium peccatorum, quo usus est arguento? Hoc nimirum: *Videmus enim, quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quocumque peccatum, & exequendi desiderium cuiuscumque peccati: eo quod ad habenda quacunque temporalia bona potest homo per pecuniam juvari, secundum quod dicitur Ecclesiastici X, 19. Pecunie obediunt omnia.* Quaro autem a te, Mamachi, si ita ego ex D. Thoma sententia argumentum instituerem: Si per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quocumque peccatum, & exequendi desiderium cuiuscumque peccati; inde hoc necessario consequitur: Divitiae igitur vitium continent; dic, amabo te, quid est, quod in eo jure me reprehendas? Nam si illud, hoc: verum autem illud, Thomae si credimus: igitur & hoc verum esse fateare. Et tamen hac ego non utar defensione. Etenim, quod facile erat in illis Adnotationibus cognoscere, non ibi ego, sicut nec usquam alibi, de divitiis universe improbandis egi: sed res prorsus omnis eodem loco agebatur de Monachis, id est, perfectis, a quorum perfectione abhorrente divitias affirmavi. Cur me igitur insimulas? Thomae quippe ego verba, sicut & illa Cassiani exscripsi, ut hanc meam confirmarem sententiam, quæ inibi sic legitur: *Amoventur nimirum a perfecti Christiani vita nimiae divitiae, quia veluti exitiales illecebrae habentur ad omnes pravas mortalium cupiditates, quibus cum quotquot Christi disciplinam sequuntur, vacare oppido debent, tum vel maxime Monachi, & Moniales.* Qua in sententia, clames tu licet

cet ad ravira usque , nihil profecto reperies , quod jure reprehendas : sed si verum fatigi volueris , eaſi cum Thome doctrina *oppido* conſtantiam invig- nies . At enim inde sequi autumas . Impro- batis divitiis , auctum esse de divitiis , deque ipſis Principiis : ſic enim addis . Atque illud eſt , in quo teipſam vel imperitiae arguis , vel fraudis , vel utriusque . Quis enim non videt , loqui me eo loco de Monialibus , ac Monachis , quorum ordini exitiales omnino eſte nimiaſ apes , eorumque conditionem diſſimilem prorūſas eſt . ſeculi divitiis , velis nolis fatearis oportet ? Sed novi tuura iuſtitutum . Novi tuam agendi , ſcribendique rationem . Modo aliquam criminandi adumbratam cauſam habere tibi videare , nihil vereris , quin calumniator manifestarius de- prehensus , iniqui accuſatoriſ nomen merearιs .

Satis haec tenus demonſtrasse arbitror , Bottari doctiſſime , que ſit mea de divitiis , deque religioſa paupertate ſententia : quam itidem in meis Adnota- tionibus luculenter expoſueram , quæque uni temere iuſtimulanti Mamachio probari non potuit . Quod minime mirum videri debet in eo , qui ea voluntate proceſſit , ut laſeret : proindeque non pronuncia- ti testimonii , ſed laſendi tantum verba meditatus eſt . Etenim quis non intelliget , quam perverse , perque ſumma injuriam Mamachius mihi objecerit errores Manichæorum ; perinde ac ſi ego divitiis in viris religioſis minus probando , ad ſectam Ma- nichæorum , qui ab auro alieni videri volebant , ad- hæſerim ? Probum ſane , & pudicum eaſigatorem ! Qui patidiffimis ſuis diceris nondum ſentit , quam tarpiſ hominibus probis ſtomachum magis , quam riſum moveat . Si Manichæus ego , quod divitiis non univerſe , ut ipſe falſo opinatur , ſed quantum ad iuſtitutum Monachorum attinet , damaṇavi ; Manichæus pariter Alexander III. P. M. Manichæi

ceteri alii, quorum ego de divitiis Monachorum testimonia supra recitavi. Credo item officii tantum causa abstinuisse, ne disertis verbis (nam tacite non auctor affirmare) ipsum Divinum Præceptorem in Manichæos annumeraret. Quum enim is quid de divitiis sentiret, plane declarasset, quum ait, non debere nos thesaurizare nobis thesauros in terra; & alibi, facilius esse camelum per acus foramen transire, quam divitem intrare in regnum celorum; his in verbis non erat difficile Mamachio nefarios errores Manichæorum invenire.

Quid si rectius, Mamachi, te ipsum turpiter in errorem maximum Manichæorum offendisse doceo? Quid? Num conturbo te? Ne temere hoc a me affirmari credas, Mamachi, quæsօ aures arrige. Opinor ipse minus gravate mihi concedas, neminem melius, quam D. Augustinum novisse, ac penitus perscrutatum esse singulos Manichæorum errores. Atqui is in libro, quem de hæresibus appellavit, de Manichæis fuisus, quam de ceteris aliis agit, eorumque hæresis decreta omnia, erroresque sigillatim enarrat, nec inibi uspiam Manichæos eo crimine arguit, quod divitias damnarint. Inde ut recte argumentari possit, cum aut non satis æquum judicasse, cur Manichæos ob repudiatas divitias hæresis crimen arcesseret; aut si eo etiam nomine eos reprehendendos existimavit, sicuti alibi ab eis aurum & divitias iniuria accusari notavit, virum sanctissimum aque ac sapientissimum satis secum reputasse, minime decere magnopere se in eo errore redarguendo versari, indignum ratum Antistitem Ecclesiæ, & interpretem Religionis agere patronum divitiarum. At quod eodem illo in libro hæresum differtissimis verbis Augustinum descripsisse legimus, illud est, inter potiores Manichæorum festæ errores fuisse odium & fugam laboris & operis manuum,

ndum , eadem propter modum ratione , quæ te Mamachi , tuam opere Monachorum sententiam protulisse in scriptis tuis apparet . Num mentior ? Recita testimonium Augustini (1) : invenies ibi Manichæos nefas habuisse agrum spinis purgare : & agriculturam , tanquam plurium homicidiorum ream , vehementer accusasse ; ipsos interea ab opere feriatos expectare ab auditoribus suis , quos in agris operari sinebant , quæ ad vitæ usum requiruntur . Et etiam quum libros de moribus Ecclesiæ Catholice & Manichæorum scribendos suscepisset , ut repugnantiam discipulorum tholicæ a manichæa palam ficeret , Monachos tholicorum describit ut nihil peculiare possidentes , sed manuum opera exercentes , unde sine ullo divinæ contemplationis detimento , victimum sibi compararent . Opificia autem non levia fuisse inde intelligi affirmat , quod ex illis non modo quod sibi fatis esset , sed aliis quoque subsidia mitterent , percipiebant . Tu qui unus , Mamachi , scripta SS. Patrum non in rivulis sed in ipsis fontibus consulere prædictas ; tu qui totus quantus es , theologia sapientia es , tu , inquam , non

(1) De Hæres. XLVI. Propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent . Unde agriculturam , quæ omnium artium est innocentissima , tanquam plurium homicidiorum ream , vehementer accusant : suisque auditoribus ideo hac arbitrantur ignosci , quia probent inde alimenta electis suis , ut divina illa substantia in eorum ventre purgata , impetrat eis veniam , quorum traditur oblatione purganda . Itaque ipsi electi , nihil in agris operantes , nec poma carpentes , ne salzem folia ulla vellentes , expectant hac afferri usibus suis ab auditoribus suis , viventes de tot , ac tantis , secundum suam vanitatem , humicidisis alienis .

non vides quam turpiter in eo ipso , quod in aliis reprehendis , laberis ? Non vides , in quo laqueos te inducis , ex quibus haud facile te extricabis ? Nam quos Monachos Augustinus operosos esse vult , & longe alienos ab opinionibus Manichaorum , eos tu , quemadmodum & Manichæi , ab opere manuum feriatos esse contendis : de quo deinceps erit differendi locus . Interim vero ecquid te pudet , Mamachi , tanto studio id agere , ut de mammona bene mereri videaris ? Quid tantopere pro divitiis decertare , quas optimus quisque , etiam ii , qui perfectissima Christianorum officia ignorarunt , non magni esse facienda existimarent ? Desine , quæso , homo sacramento paupertatis obligatus , tantopere ejusmodi voces jactare , quæ non modo ordini tuo , sed purissimæ etiam christiana religioni detimento , maculæ , invidiæ , infamiae esse possint . Sed de divitiis satis , vel potius nimis multa .

Accedamus nunc ad alteram accusationis partem in qua non recte me sentire de Monachorum instituto , criminatur Mamachius , propterea quod Monachos operosos esse velle , quum tantopere in eis opus manuum commendasse Patres , scripserim . Meque proinde , majorem in modum quiritando , ut sceleris reum probris omnibus & maledictis vexat . Quæ , malum , est ista ratio ? Quodnam adeo nefarium meum fuit erratum , ut in tantam me probrorum insimulationem vocares , Mamachi , ob id , quod manuum opus ad Monachorum institutum pertinere opinatus sim ? Quodnam tantum fuit flagitium ? Sed ut querelarum tuarum , & criminationum vanitatem tandem cognoscas , accipe paulisper , Mamachi , sobrii hominis sententiam . Ego sic existimo , & mihi etiam assensuros ceteros omnes , præter Mamachium , arbitror , Christum Dominum , quos ad suæ discipline rationem informandos suscepit , eos non ad desidiam & inertiam vocasse , sed
vo-

voluisse in rebus necessariis eos esse occupatos: quippe minime ignorabat quod sacrata lege fuerat sanctum, homines ad unum omnes sex totos dies operi vacare, septimo tantum ab opere esse feriatos deberet. Hebreorum imperitorum ea fuit stultitia, qui, quam Christum doceant audirent, per mortales omnes ærumnosam, & laboris plenam vitam traducendam, felicitatem vero in cælis expectandam, id quidem minus verisimile arbitrabantur: propterea quia a Christo venturo otium, imperia, commoda, omnemque terram felicitatem expectabant. Quorum sociorum & vanitatem non modo verbis, sed re ipsa exulevit, qui cæli, terræque conditor & rector apud eos ipsos fabrum agere non est dignatus. Putas ne igitur divinum Praeceptorem quemquam pietatis causa ab suo honesto opificio unquam se vocasse? Non sit verisimile. Sed potius eos, quos cælesti doctrina imbuendos curavit, eosdem, atque haud scio an omnium maxime, boni atque utilis civis officia docuisse, dubitari non potest. Cujus disciplinæ rationem probe intellexere Apostoli, qui & ipsi nullam operis vacationem sibi arrogarunt, & quos regendos suscepserunt primos illos Hierosolymæ Christianos, minime sivere in otio languescere nihil agentes. Nam divendiderant illi quidem facultates suas, oblatoque earum pretio Apostolis, eisdem sese alienos tradiderant: sed oblationes rursus illæ dividebantur prout cuique opus erat, hoc est, debilibus, & infirmis: quibus vero opicia exercere vires sufficerent, ii nullas inde suppetias depositabant.

Nec quisquam potest de sanctissimis illis viris, ac sapientissimis doctoribus secus opinari: nisi forte idem male Christum, & Apostolos de hominum societate meritos unquam fuisse suspicetur: quod nefas est cogitare. Nimirum ea. societatis hominum ratio est, & vis, ut mutuam homines commodorum, &

in-

incommodorum participationem ineuntes , communem querant felicitatem , ex qua quisque derivaret suam . Mature ideo civium quisque intelligat opus est , ita a parentibus se esse suscepimus , qui non modo sibi ipsi esse natum , sed etiam se aliquando nsui reipublicæ fore , arbitretur . Quare non inscite ait ille , nihil aliud esse civitatem , quam publicam multorum ad communem utilitatem , ac vitæ bonorumque tutamen institutam societatem , quæ perpetuis publicarum passionum vinculis , nempe legibus , continetur . Vincula autem illa , sive leges , sane jubent , quemque pro viribus communi interfiri utilitati , si ejus & ipse participem se esse voluerit . Exemplo proponendum corporis humani , in quo singula membra sua exercent ministeria , ut si aliqua corporis membra suum recusent facere officium , incommode ad universum corpus pertineat necesse sit . Ita profecto societas , sive civitas : quæ quum & multis & dissimilibus constet hominum generibus , eorum unumquodque proprium reipublicæ usum præstare debet , quemadmodum membra corpori . Ita fit , ut non aliter reipublicæ haberi retinerique possit incoluitas , & felicitas , nisi seclusa omni segnitie & ignavia , quod cujusque proprium est , suum cives exequantur opus . Hinc ex fonte divinae sapientiae sanctissima Mater Ecclesia illas identidem nobis inculcat voces , nempe in laboribus comedamus , & in sudore pane vescamur (1) oportere : & quia labores manuum nostrarum manducabimus , beatos nos esse , & bene nobis fore (2) . Alibi formicæ industriam ad imitandum nobis proponitur , ut ab ea sapientiam discamus , quæ sibi in æstate parat cibum , & congre-

(1) Genes. 3. 17.

(2) Psal. 122. 2.

gregat in messe quod comedat (1) : eum vero satiari panibus, qui operatur terram suam : qui autem lectatur otium, fore stultissimum, ac repletumiri egitatem (2). Et qui propter frigus piger arare noluit, propterea mendicari eum in aestate, nec quidquam ei datum iri (3). Quid vero de D. Paulo nobis commendat Ecclesia? Quispiam ne pro dignitate poterit illius ea de re divinae sapientiae plenas sententias enarrare? Qui, quo majorem documentorum, quae tradebat, ficeret fidem, consulto didicerat opificia exercere, ex hisque vietum sibi & cultum comparare. Nullius propterea in suo illo divino praeconio argentum & aurum, aut vestem concupivisse affirmat, quoniam ad ea, quae sibi opus fuerant, & iis, qui secum erant, suas manus ministrasse ait (4). Alibi (5) autem inquit: *Memores estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, predicavimus in vobis Evangelium Dei. Vos testes estis.* Et iterum ibidem: *Neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Quid multa? Usque adeo quemcunque nihil agentem, & feriatum esse agre ferebat, ut non dubitaverit affirmare Thessalonicensibus, *Si quis non vult operari, nec manducet.* Quumque inter illos quosdam ambulare inquiete, & inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperant, alios nihil operantes, sed curiose agentes, animadvertisset; ab ejusmodi christianis se ut subtrahant, pracepit: mo-

C

net-

(1) *Proverb. 6. 6.*(2) *Ibid. 12. 11. & 28. 19.*(3) *Job. 20. 4.*(4) *Actor. 20. 33.*(5) *I. Thess. 2. 9.*

netque , ne commisceantur cum eo , qui non obedi-
dierit verbo suo per epistolam , ut sic confundatur
(1). Post hæc divinitus emissa lúculentissima oracula ,
erit ne quisquam adeo parum cogitans , adeo ex-
cors , qui Christianorum quenquam etiam religionis
& pietatis causa , ipsa salva pietate , posse panem
manducare , sine ullo opere , quod reipublicæ esset
uite , audebit docere ? Quid ais , Mamachi ? Ea ,
quæ hactenus recitavi , divina monita ad justos ne ,
nempe ad Christianos universos , an ad perfectos
dumtaxat pertinere putas ? Si me rogas , ad Christianos
peræque omnes spectare , audacter affirmabo .
Etenim nihil magis habeo persuasum , quam Christi
Domini fuisse institutum , mortalibus omnibus non
modo boni christiani , sed cum maxime optimi etiam
civis officia tradere . Bonus autem civis nemo , sine
reipublicæ impensa opera , recte dici potest . Quod si
ad Christianos omnes , eo vel maxime ad perfectos
ea pertinere dicendum est . Quæ quum ita sint per-
spicua , ut probatione non egeant ; cur mihi , Ma-
machi , vitio ac criminis verti , quod veteres nihil
tantopere Monachis commendasse scripserim , quam
manuum opus ? Quid terras , & cælum milices , ac si
non in tuto res tuæ sint , aut tibi sine opere quid-
quam sit defuturum ? Ne hoc quidem in mentem
tibi veniebat Theologo Patrum scripta in ipsis son-
tibus perscrutanti , hanc tuam futilem & captio-
sam accusationem quemque , modo scripta Patrum ,
& veteres annales leviter attigerit , nullo negotio
refutaturum ? Etenim quid apud veteres peræque
omnes testatum magis & perspectum , quam inter
potissima Monachorum instituta manuum opus suis-
fe collocatum ?

Et

(1) Thess. 3. 10.

Et quoniam productis testibus agi oportet, pauca de innumeris delibemus. Quanta hac in re fides habenda sit Cassiano, neminem ignorare arbitror. Is enim monasticum institutum coluit: & quam Orientis regiones fere omnes, ac præsertim Ægypti peragrasset, ut eorum vivendi rationem penitus persiceret, cum illis Solitariis & Cœnobitis versatus esset. Itaque non quales ex aliorum narratione acceperat, sed quales suis ipse oculis inspexerat, expressit: & quæ maxime notatione digna visa sunt, scriptis confignavit, quæ ad nos usque pervenere. Eaque omnia complexus est XII libris, quos *De Institutis Cœnobiorum* appellare placuit. In singulis autem his XII voluminibus ut potissimum ponit Monachorum curam, opificium, ex quo dumtaxat victum sibi compararent. Quod adeo apud illos deliberatum narrat, ut ne ab eo quidem, qui cum ipsis simul esse in Monasterio petebat, ultro oblatam pecuniam ullam acciperent. Et idcirco ne usibus quidem Cœnobii profuturas suscipere ab eo pecunias acquiescunt. Lib. IV, Cap. IV. Fuisse namque illorum institutum, quotidianum victum non recondita pecunia, sed opere proprio conquirere. Tantumque ex eo opere emolumenti comparsæ, quod & sibi satis esset, & ceteris erogarent. Et quum tantos unusquisque eorum quotidie de opere ac sudore proprio redditus conferebat Monasterio, ut ex his suam sustentare non solum valeret parcitatem, verum etiam usibus posset exuberare multorum; in nullo tamen inflatur, nec sibi de tanto operis sui quæstiu ac sudore blanditur: sed præter duo paxamacia, quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibi amplius unusquisque presunit. Lib. IV, Cap. XIV. Toto vero libro X disertissimis verbis operis Monachorum necessitatem describit, ac fusius agit de opificii utilitate, innocentia, ac præstantia: satis ut appareat, ex laborioso operis studio Monachorum re-

Etiam disciplinam præsertim ab eo fuisse commendatam. Et tamen Mamachius magnum nescio quid egisse putat, si hunc ipsum Cassianum, atque in ipsis *Institutis*, ut testem hospitalitatis Monachorum laudaret. Et quo fidem probaret suam, paginam 77, editionem Romanam, atque annum 1611 adscriptis. Usque eo imperitis fucum facere arbitratus est. Et quia Cassiani facta mentio est, quod quæris, Mamachi, undenam didiceram, quo tempore serventius christianorum studium languescere cœpit, Monachos eam vivendi puriorum rationem revocare professos esse; respondebo, ab eodem didicisse Cassiano, cuius testimonium retuli in eisdem scriptis meis: qui locus, nisi uno obtrectandi studio processisset, te latere non poterat. Et qui scriptores veteres in ipsis tantum fontibus consulere soles, consule, ni erit grave, Cassiani Collat. XVII, cap. V. Invenies ibi, tunc prorsus exortos esse Monachos, (ut verbis utar ejusdem Cassiani) quum tepescere cœpisset credentium multitudo, O prima illius fidei refrigericeret fervor. Poteram ego proprius accedere ad ipsam Cassiani sententiam? Et qui in rebus tam perlucuis iniquus accusator deprehendi veritus non est, quid faciet in ceteris minus perspicuis?

Quoniam igitur ex Cassiano tam parum præsidii causæ tuæ, Mamachi, comparari jam cernis, vi fortasse arbitrum sumamus Johannem Chrysostomum? Hunc potius, arbitror, appellabis, qui adversus vitæ Monasticæ oppugnatores luculentissimos scripsit commentarios. Agedum ergo, quid ait Chrysostomus? Iis scilicet libris, quanquam illud egerit Chrysostomus, ut omnibus eloquentiæ ornamenti omnem Monachis conciliaret dignitatem, eosdemque vindicaret ab improborum maledictis & invidia; nihil tamen invenire licet, quare eos ab opere manuum exemptos vellet. Contra vero opus ad eorum ipso-

rura

rum institutum pertinere , non obscure demonstrasse videtur . In II libro enim sibi refellendum proponit quemdam perverse opinantem divitem , cuius optimæ spei filium ad suscipiendam Monachorum disciplinaria invitari velit : eique , quæ adversus Monachos objiciuntur , incommoda ultro concedens , ait : *Tum vero in medio tanta spei accedat aliquis , deque hac philosophia verba faciens , persuadeat ei , ut spretis omnibus , vestem se rusticam induat , ac relicta urbe ad montem consufiat : ibique plantet , riget , aquam ferat , ceteraque Monachorum faciat opera , que vilia & indigna esse videantur .* Eas scilicet esse Monachorum exercitationes affirmat Chrysostomus : quas tamen nullo impedimento esse contendit , quo minus juvenis ille vitam monasticam complectetur . At aliis in locis quid de Monachorum studiis sentiret , satis aper te ostendit . Nam in Homilia LXVIII in Matth. dum eorum vivendi genus narrat , ait , Monachos postquam quotidie , simulatque luceret , omnes simul hymnis Dei majestatem & beneficentiam celebraverant , *Deinde surgentes post sanctas illas & frequentes orationes , oriente sole singuli ad suum opus se conferunt , hinc magnum egenis proventum parantes .* Similia habet in lib. I de compunctione ad Demetrium , ubi com perisse narrat , qua ratione , quoque labore operoso , & molesto sese Monachi in Monasterio exercere solerent . Recita Chrysostomi testimonium : *Quum nuper* (1) . *Quæ sapientissimi Doctoris sententia*

C 3

quum

(1) *Quum nuper ego decrevissem , relicta urbe , ad tabernacula Monachorum accedere , solicite quarebam & sciscitabar , undenam necessariorum conveatus adfuturus esset , & num fieri posset , ut panis recens ac diurnus consideretur : an quis me cocturus esset eo-*
dem

quum dilucidior profecto sit, quam ut a quovis obscurari, tenebrisque obduci possit; congerat suo arbitratu Mamachius plurima illa testimonia: profecto in rebus clarissimis cavillari poterit: rerum veritatem labefactare non poterit.

Quæramus ergo alium quempiam. Sed quem? Num Isidorum Hispalensem? Quid igitur ait vir scientissimus, cuius non minus sanctitas, quam eruditio, & ingenium merito suo celebratur? Suam is de opere Monachorum sententiam satis luculentiter prodidit in Regula, quam Monachis descripsit, ubi cap. V sic scribit: *Monachus semper operetur manibus suis, itant quibuslibet variis opificiis artibus, laboribusque studiis suum impendat, sequens Apostolum, qui dicit: Neque panem gratis manducavimus, sed in labore & fatigione, nocte & die operantes. Et iterum: Qui non vult laborare, non manducet.* Ostendit deinceps quæ mala ex otio & inertia oriuntur: & qua ratione amplissimi cuiusque ætatis viri operi manum admoventes, nihil de sua dignitate detraxerint: eoque alacriores Monachos ad opus suscipiendum esse debere. Demonstrat, Monachos infirmi corporis humanius esse tractandos, sanos & valentiores, si laborem inertia desugerint, esse cogendos. Ac denique tempora statuit, quibus lectioni, & quibus operi vacare oporteat (1). Percurre, quæso,

dem uti oleo pro lucerna, & pro cibo: an quis me impulsurus ad miseram leguminum escam, an assignatur opus durum, ut est fodere, ligna deferre, aquam comportare, & cetera omnia hujuscemodi ministeria. 8.

(1) Per otium enim libidines, & noxiarum agitationum nutrimenta concrescent: per laboris vero exer-

fo, Malmachi, totum illud Caput V. Invenies Isidorum non indiligentem Augustini expugnarem. Sed h

exercitium vitia nihilominus elabuntur. Nequaque debet Monachus deinde versari in opere aliquo, nisi naasterii usibus necessario. Nam Patriarche greges perverunt, & gentiles philosophi futores, & saeculares fuerunt: & Joseph justus, cui virgo Maria sponsata exitit, faber ferrarius fuit. Siquidem & Iudas Princeps Apostolorum, piscatoris officium, & omnes Apostoli corporate opus faciebant, ut etiam corporis sustentabant. Si igitur tanta auctoritate homines laboribus, & operibus etiam rusticaniis infierunt; quanto magis Monachi, quos oportet nam tam vita sua necessaria propriis manibus exhibere (ob isthoc dictum Viclefista ei nomen non deerit). etiam indigentiam aliorum laboribus suis reficere? Viribus corporis & integritate salutis consistunt, & opere otiosi sunt, dupliciter peccare noscuntur: non solum propter laborant, sed etiam alios viriant, ad imitationem suam invitant. Propterea enim quisque convertitur, ut Deo serviens laboris habeat curam: non ut otio deditus inertia pigritaque pascatur. Qui si volunt lectio vacare, ut non operentur, ipsi lectioni contumaces existunt, quia non faciunt, quod ibi legunt: ibi enim scriptum est: Operantes panem manducent . . . Qui per infirmitatem corporis operari non possunt, humanius clementiusque translandi sunt. Qui vero sani sunt, & fallunt, prout dubio dolendi atque lugendi sunt: qui eti humanis oculis convinci non possunt, Deum ramen latora non possunt. Tales igitur aut ferendi sunt, si agendo latet; aut distringendi, si sanitas patet. Monachos operantes meditari, aut psalmos debent . . . Prin-

eum parum instituto tuo faventem offendes , tu pro tua solertia , & theologiae singulari scientia , aliquam reperies rimam . Puta Isidorum de Solitariis , non de Cœnobitis fuisse locutum : aut non eadem esse veterum , ac posteriorum Monachorum rationem . Aut aliquid aliud ejusmodi . Praeterea tibi erunt loci illi , tibi communes , aliis minus cogniti . Hic tibi maximo erunt adumento , non modo ad eas sententias , quas recensuimus , probe intelligendas , sed ad ceteras alias , quas infinitum esset referre , redargendas .

Nam quid ego de D. Benedicto dicam ? Is enim vita monastica instituta discipulis suis traditurus , veteranum Monachorum vivendi rationem usum perfecit : probeque intelligens , quanti momenti apud monasticae vitæ cultores esse debeat manuum opus ; suos admonere non dubitavit , tunc eos genuinos vereque Monachos futuros , quum ex manuum labore victuri sint : itaque faciendo veteranum Patrum , & Apostolorum imitatores fore . Et ideo , in-

priis autem temporibus oportet operari Monachum , & propriis orationi , lectionique incumbere . Horas enim debet habere Monachus congruas ad singula officia deputatas . Partes autem anni temporis suis quibusque operibus taliter deputentur . Æstate enim a mane usque ad horam tertiam laborare oportet : a tercia autem usque ad sextam lectioni vacare : dehinc usque ad nonam requiescere : post nonam autem usque ad tempus vespertinum iterum operari . Alio autem tempore , id est , autumno , & hyeme , sive vere , a mane usque ad tertiam , legendum . Post celebrationem tertiae usque ad nonam laborandum est : post refactionem autem nocte , aut operari oportet , aut legere , aut sono vocis aliquid meditari . Regula Cap. V.

inquit, certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum; certis iterum horis in lectione divinae . . . Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere Monachi sunt, si labore manuum vivunt, sicut & Patres nostri; & Apostoli. Reg. Cap. XLVIII. Quid verbis his intelligi voluerit sanctissimus Monachorum Institutior, num putas opus esse conjectore? Num oportet consulere aut Natalem Alexandrum, aut Rupertum Abbatem, aut Petrum Cluniacensem, quos frustra nobis obtrudis, Machachi? Nam quid aliorum interpretationa aucupari, quum rem ipsam tam aperte declarat Benedictus? Scilicet constans haec fuit priscae illius ætatis opinio, monasticum institutum universe & cum primis manuum opere commendari debere. Quod minime ignoravit Pelagius I Pont. qui tria haec Monachis tribuit, quietem, orationem, manuum laborem (1). Quod adeo per id temporis certum habebatur, & perspectum, manuum opus ad Cenobitas pertinere, ut quum seculo VIII Presbyteri etiam, Canonicorum nomine assumpto, communem vivendi rationem instituissent, sese lege laboris & opificii alligari, arbitrati sint: cuius rei testem locupletissimum habemus Chrodogangum Episcopum Metensem, qui ejusdem fuit ætatis. Ac ne singulos enumerem, quod esset infinitum, satis erit postremo addere testimonium D. Francisci, qui alumnos suos ad veterum Monachorum eximiam paupertatem instituere maxime omnium curavit: hortaturque proinde eos in sua Regula, ut non aliunde corporis necessaria, quam ex mercede ope-

(1) C. de presentium 16, quest. 1.

operis recipient (1). Cujus instituti sui rationem confirmavit maxime , & planius explicavit in suo Testamento , nempe , si quando eveniret , ut ipsis denegaretur *preium laboris* , tunc ab aliis vita alimenta quæsitos , petendo *eleemosynas* ostiatim (2). Istud in origine sua fuisse illius sanctissimi viri institutum , inficiari non potest , quidquid deinde additum ab aliis inveniatur . Sed quid ego istiusmodi plura recitem testimonia , quam , si una voce loquuntur vetustas omnis , ita profecto diceret , nullum Monachorum institutum , sine opere ? Ita enimvero sentiebant veteres illi , & quod sentiebant sine fraude , sine ambagibus præstare non recusabant : non enim interpretando sibi quisque leges aptas faciebat , sed suos potius mores ad eas accommodabat . Nondum enim ars illa pessimo publico exorta erat , quæ captiunculas illas suas doceret , quibus homines verborum apiculas aucupantes , sanctissimis legibus perversa fallacieque interpretatione fraudem facerent , ac priscæ disciplinæ labefactarent puritatem . Nimirum Fidem minutis dissecant ambagibus .

Ut quisque lingua est nequior ,

Sol-

(1) Volo , ut de mercede laboris pro se , & suis fratribus necessaria corporis recipient , & hoc humiliter , sicut decet servos Dei , & paupertatis sanctissimæ sectatores .

(2) Et ego manibus meis laborabam , & volo laborare , & omnes alii fratres mei firmiter volo , quod laborent de laborio , quod pertinet ad honestatem . Et qui nesciunt , discant , non propter cupiditatem accipiendi preium laboris , sed propter bonum exemplum , & ad repellendam otiositatem . Et quando non daretur nobis preium laboris , recurramus ad mansum Domini . *Petendo eleemosynam* .

APOLOGETICUS. 43

*Solvunt, ligantque questionum vincula,
Per syllogismos plectiles.
Væ captiosis sycophantarum strophis:
Væ versipelli astutie.
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Insecta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant sophistica.*

Sed audio mihi in aures insusurrari nescio quid. Suas omnes sententias, & singula pene dicta confirmasse, ait Mamachius, testimonio & auctoritate ex omni antiquitate sanctissimorum æque, ac sapientissimorum virorum, nempe Basili M., Hieronymi, Augustini, Caffiodori. Quos scribit aut nullum manuum opus requisivisse in Monachis, aut si unquam requisivere, illud leve admodum fuisse, ut non ad vitæ alimenta paranda, sed ad otium tantum desuviendum satis esset: cuius laboris tamen penitus expertes fuisse Cœnobitas illos, qui studiis litterarum, sive orationi, aliisque sacræ occupationibus quacumque ratione vacarent, aut quotquot sacerdotio essent insigniti. O miram hominis!... Sed nolo gravius quidquam dicere, ne a proposita instituti mei ratione discedere arguar. Audes tu, Mamachi, horum præstantissimorum Doctorum nomina opponere? Audes eorum auctoritate tam pessime abuti, quasi quidquam ab illis sit prolatum, quod cauæ tuæ posset suffragari? Age itaque, quoniam ita placet, ipsorum scripta in medium afferamus, ut plane quisque possit intelligere, nulla alia re magis jugulari causam a Mamachio suscepit, quam eorum ipsorum luculentissimis testimoniis, & auctoritatibus. A D. Basilio exordiamur. In Institutione vita monastica cap. IV ea usurpando, quæ D. Paulus in altera epistola ad Thessalonenses cap. III de nolente operari scriperat, Monachos objurgat nihil operantes.

tes. Eos proinde monet, ut pareant ejusdem Pauli præcepto, quod extat in prima epistola ad Thessalonenses cap. IV, nempe *ut operantes suum panem manducent*. In sua vero epistola XXII, dum viræ monasticæ officia recenset, in illis non postremum tribuit locum manuum operi. In epistola vero CCVII scribit: *Virorum, & mulierum cœtus habemus . . . operantes manibus suis, ut habeant, unde impertiant indigentibus*. Item in sermone ascetico, de Monachis loquens, *Opera autem, inquit, sunt conficienda . . . ut & illud mandatum compleatur, quod in sudore ac labore victum comparari precipit*. At opportunius in sua Regula, quam Monachis suis descripsit, ad XXXVII interrogationem respondens, affirmat, adeo in Cœnobitis necessaria esse opera manuum, *ut nullo precum, & psalmodie obientu sint negligenda*, argumento usus D. Pauli, panem videlicet vesci cupientem, eum opere vacare non debere. Operisque insuper faciendo certum tempus, atque idoneum assignat. Deinde ad interrogationem XXXVIII respondet, *opifia exercenda esse a Monachis: que opifia constituit esse juxta locorum naturam, & regionum, que in singulis funt, commoditatem*. Ubi etiam potiorē locum tribuit agriculturæ, ut omnium innocentissimæ. Quumque probe intelligeret nimis magnam Monachorum multitudinem plerumque dissentionibus causam præbere, atque adeo labefactari monasticæ perfectionis puritatem; idem sapientissimus Monachorum Pater, in qualibet urbe, præter unum tantum Monasterium, esse non posse, ad XXXV interrogationem edixerat. Hæc, atque horum similia sere sunt D. Basili præcepta, quibus, paucis quidem verbis, sed satis significanter, Monachis suis *tantopere manuum opus commendavit*.

Ex Hieronymo autem Mamachius identidem usur-

usurpat testimonium, quod legitur in epistola ad Rusticum Monachum. Rusticum Hieronymus quum docendum suscepisset, quomodo vitam Monacho dignam instituere ille deberet, ejus sententiam plurimum valere una mecum sentit Mamachius, & libenter ei assentior. Uter vero rectius eum causa patrum advocet, res ipsa demonstrabit. Sic igitur Rusticum Monachum docet sapientissimus Doctor: *Tu vero, si Monachus esse vis, non videri, habeto curam, non rei familiaris, cui renuntiando hoc esse ceperisti, sed anime tue.* Hortatur quidem, ut studio vacet litterarum: *Nunquam de manu oculis tuis recedet liber tuus: sed pariter operi ei esse vacandum, suadet, & operum genera graphice describit.* Facito, inquit, aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia; cur tu in usus tuos cessura non prepares? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plete viminibus: sarratur humus: areolæ a quo limite dividantur: in quibus quum olerum jacta fuerint semina, vel plantae per ordinem posite, aquæ ducantur irrigue: ut pulcherrimorum versuum spectator assistas:

*Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.*

Inferantur infrafructuose arbores, vel gemmis, vel surculis: ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia: ad quas te mittunt Salomonis proverbia, & Monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus: scribantur libri: ut manus operetur cibum, & animus

le-

*lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. Ägyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem. Hoc est, rectius, quam ipse vult Mamachius, non modo propter victum, quippe parvo erant contenti, sed ut otium, quod vitiorum folet esse comes, defugerent, & indigentibus ex opere suo subsidia præberent. Verum quid tam luculentissimo testimonio responderet Mamachius? Contendit videlicet, has præceptiones Hieronymum Rustico, ut in privata domo monastica vitam agenti, non ut Cœnobitæ, dedisse. Quod inde defumi opinatur, quod, postquam ejusmodi opera facienda Rustico edixerat, addidit: *Tibi quum in Monasterio fueris, hac facere non licebit.* Sed pace sua inquam, in eo aut fallitur ipse, aut alios fallere vult. Etenim primo, si domestico Monacho ex monastica vitæ instituto, Hieronymo auctore, ejusmodi opera facienda erant; nonne hoc magis eadem opera ad Cœnobitas in Monasterio degentes pertinuisse, dicendum est? Tu mihi, Mamachi, tandem præclarum nescio quid excogitasse arbitraris, ut unos domesticos Monachos operi fuisse addictos contendas, Cœnobitas non item? Quo id satis idoneo arguento probabis? Tu qui omnia Patrum scripta ad fontem ipsum semper consulisti, non animadvertis ea in re universam tibi antiquitatem reclamare? Tam miseris tergiversationibus causam tantam recte tueri posse putas? Deinde Hieronymum non de domestico Monacho, sed de Cœnobita loqui, perspicuum esse puto. Hieronymi enim propositum fuit, Rustico Monacho vivendi rationem describere. monstrat proinde, quanto tutius illi sit in Monasterio cum aliis, quam in solitudine vitam traducere. Et ne solitariam vitam contempssisse videretur, multa copiose de illius laude recenset*

set (1). Præceptiones autem omnes, quas Rustico dat, ad vitam cenobiticam in Monasterio degendam, omnino referri videntur. Et ne plura, inquit, replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dismittendum, sed vivere debere in Monasterio (non domi) sub unius disciplina patris, confortioque multorum: ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam: non facias quod vis: comedas quod juberis: vestiare quod acceperis: operis tui pensum persolvias (absurdum hoc videtur Mamachio, aut mendum).... Ad quod & ante respondi, & nunc breviter respondeo, me in præsenti opusculo non de Clericis disputare, sed Monachum instituere. Sancti sunt Clerici, & omnium vita laudabilis Ita ergo age, & vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules &c. Dic bona fide, Mamachi, hæc, quæ recensuimus, ad domesticum ne Monachum, an ad cenobiticum pertinent? Si dicere erubescis, alii pro te judicabunt. At quonam pertinere dicendum verba illa: *Tibi, quum*

(1) *Quid igitur? Solitariam vitam reprehendimus?*
Minime, quippe quam sepe laudavimus: sed de ludo
Monasteriorum hujuscemodi volumus egressi milites,
quos eremi dura rudimenta non terreat: qui speci-
men conversationis sue multo tempore dederint: qui
omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent:
quos nec esurie aliquando, nec saturitas superavit:
qui paupertate latantur: quorum habitus, sermo,
vultus, incessus doctrina virtutum est: qui nesciunt
secundum quosdam impetus homines, dæmonum pu-
gnantium contra se portenta confingere; ut apud im-
peritos, & vulgi homines miraculum sui faciant, &
exinde lucra sectentur.

quum in Monasterio fueris, hec facere non licebit? Non id obicurum esse arbitror. Nam eo prorsus referri videtur, quod proxime scriperat de Monachis quibuidam, qui videri, quam, esse Monachos malebant. Vidi ego quosdam, ait, qui postquam renuntiavere seculo, vestimentis dumtaxat, & vocis professione, non rebus, nihil de pristina conversatione mutarunt, res familiaris magis aucta, quam immutata, eadem ministeria servulorum, idem apparatus convivii, in vitro & patella fictili aurum comedunt: & inter turbas, & examina ministrorum, nomina sibi vindicant Solitarii. Qui vero pauperes sunt, & tenui substantiola, videnturque sibi scoli, pompareum ferculis similes procedunt in publicum, ut cani, nam exerceant facundiam. Alii sublatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupentibusque in terris oculis tumentia verba trutinantur: ut si praconem addideris, putas incedere prefecturam Plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt: mutatisque nominibus institutorum, eadem excent commercia, non victum & vestitum, quod Apostolus praecepit, sed majora, quam seculi homines, emolumenta sectantes. Et prius quidem ab edilibus, quos αγροπόλιτα Graci appellant, vendentium coercebatur rabies, nec erat impune peccatum: nunc autem sub religionis titulo excentur injusta compendia, & honor nominis christiani fraudem magis facit, quam patitur: quodque pudet dicere, sed necesse est, ut saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus, publice extendentes manus pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem, plenis sacculis morimur divites, qui quasi pauperes viximus. Ab his prorsus artibus vult Hieronymus abstineri Rusticum in Monasterio: atque idcirco continuo adjungit: Tibi, quum in Monasterio fueris, hec facere non licebit. Et recte quidem. Nam sanctissimus Doctor Rusticus

sticum Monachum non modo operosum esse cupit, sed etiam abstinentem cum primis, & qui continere linguam, omnesque cupiditates, quæ maxime monasticam vitam labefactant, sciat. Nulli, ait, detrahas, nec in eo te sanctum putas, si ceteros laceres. Accusamus sepe quod facimus: contra nosmetippos diserti in nostra vita invehimus, muti de eloquentibus judicantes. Testudineo Grunnius incedebat ad loquendum gradu, & per intervalla quedam vix pauca verba carpebat, ut eum putares singultire, non proloqui: & tamen quum, mensa posita, librorum exposuisset sruem, adducto supercilie, contractisque naribus ut fronte rugata duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans, tum nugas meras fundere, & adversum singulos declamare. Creticum dices Longinum, censoremque romane facundie, notare quem vellet, & de senatu doctorum excludere. Hic bene nummatus, plus placebat in prandiis. Nec mirum, si qui multos inescare solitus erat, facto cuneo circumstrepentium garrulorum, procedebat in publicum, intus Nero, foris Cato, totus ambiguus: ut ex contrariis diversisque naturis unum monstrum, novamque bestiam dices esse compactam, justa illud:

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimera. Nunquam ergo tales videoas: nec hujusmodi hominibus appliceris. Oportet Grunium hunc hominem fuisse nequam, & satis confidentem. Haec prorsus sunt præcepta, quæ Rustico Hieronymus tradidit: ex quibus satis didicisse Mamachium puto, quantum ex Hieronymi testimonio præsidii sibi, causæque suæ sit conciliaturus, quum nihil minus Hieronymum unquam cogitasse appareat, quam Monachum velle ab opere esse feriatum.

Venio nunc ad D. Augustinum, ad cuius testimonium saepius, multoque cum convicio provocat

D

Ma-

Mamachius. At Augustinum ego disceptatorem non modo non recuso, sed maxime omnium deposco. Augustini liber est singularis de *Opere Monachorum*: cuius is auctoritatem quum adeo vehementer inculcat, ac si sententia sua validissimum sit propugnaculum Augustinus, dicerem sane rem satis miram videri, nisi palam esset, nihil unquam aliud in scriptis suis egisse Mamachium, quam omnem vertutati fidem derogare, ac clarissimae luci tenbras offundere. Etenim palam est, in eo nihil tantopere Augustinum commendasse Monachis, quam manuum opera; adeo ut quod Augustinus ignavis, & desipientibus quibusdam Monachis, qui D. Pauli doctrina male utebantur, ait, idem atque eadem de causa jure Mamachio queam dicere: *Neque enim aut uno loco, aut breviter dictum est, (vere opus manuum exercuisse Apostolum) ut possit cuiuscumque astutissimi tergiversatione in aliam traduci pervertique sententiam.* Quodnam igitur fuerit Augustini propositum, ejusque scribendi commentarii occasio, declararunt sapientissimi editores Mamachi Maurini in argumento, quod in libri principio legitur: *Aurelii*, ajunt, *Episcopi Carthaginensis impulsu Augustinus Monachorum causam, qui se suis manibus transigebant, defendit adversus alios ejusdem professionis nonnullos, qui ex oblationibus religiosorum sic volebant vivere, ut nihil operantes, se potius Evangelica precepta de victu & vestitu non curando implere iactarent.* Quid est, Mamachi? Num te verba isthac minime delectant? Atqui ea omnia desumuntur ex cap. XXI lib. II Retractionum ejusdem Augustini, & ex ipsius libri perpetua oratione. Attende, quæso, reliqua. Ac primum demonstrat, *Apostolum Paulum dedisse servis Dei preceptum, & exemplum faciendi operis corporalis, quo victimum & vestitum sibi procurarent.* Deinde

de offendit evangelica illa precepta, unde suam Machi illi, non solum desidiam, sed etiam arrogatiā sovebant, apostolico precepto, & exemplo non esse contraria. Hæc nimurum fatis effent, quæ ostenderent, nihil tam minus cogitasse D. Augustinum, quam quod ei Mamachius affingit. Sed ne forte arguat, fontem nos præterire, dum rivulos conjectamur, operæ pretium esse puto. nonnullas ejus libri integras sententias referre. Ratius veluti edificii fundamentum Augustinus posuit illud Pauli, Qui non vult operari, nec manducet. Reiectisque vanis aliorum interpretamentis, confirmat Apostoli præceptum de corporali opere fuisse, quod palam est tum ex tota ejusdem epistolæ II ad Thessalonenses, tum ex aliis ejus epistolis, tum etiam Apostoli ipsius exemplo. Hæc ad numerum fere 6. Numerum vero 4 sic concludit: Audiant ergo quibus hoc præcepit, id est, qui non habent hanc potestatem, quam ille habebat, ut tantummodo spiritualiter operantes manducent panem, a corporali labore gratuitum: & quemadmodum dicit: Recipimus & obsecramus in Christo, ut cum silentio operantes panem suum manducent; non disputent contra manifestissima verba Apostoli: quia & hoc pertinet ad silentium, cum quo debent operantes manducare panem suum. Quum autem Apostolum Paulum, ut omnium præstantissimum exemplum, in quod ceteri omnes intuerentur, proposuisset, cui corporali, honestoque operi idem vacaret, sic n. 14. Hic forfasse aliquis dicat, si corporale opus operatur Apostolus, unde vitam istam sustentaret; quod erat ipsum opus, & quando ei vacabat, & operari, & Evangelium predicare? Cui respondeo: Puta me nescire: corporaliter tunc operatum esse, & inde in carne vivisse, non autem usum potestate, quam Dominus Apostolis dederat, ut Evangelium annuntiasset,

de Evangelio vivaret, ea quæ supra dicta sunt sine
alla dubitatione testantur . . . Unum scio, quia
nec furga faciebat, nec effractor, aut latro erat, nec
auriga aut venator aut histrio, nec turpilucricupidus:
sed innocenter & honeste quæ apta sunt humanis
usibus operabatur; sicut sepe habent opera fabrorum,
structorum, futorum, rusticorum, & his similia.
Neque enim honestas ipsa reprehendit, quod repre-
hendit superbia eorum, qui honesti vocari amant, sed
esse non amant. Non igitur deditur Apostolus
sive rusticum opus aliquod aggredi, sive in opifi-
cum labore versari. Qui enim ait, sine offensione
estote Judæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei, quos
in hac causa revereri posset, ignoro. Si Judæos dixerint,
Patriarchæ pecora paverunt; si Græcos, quos etiam
paganos dicimus, etiam philosophos multum sibi ho-
norabiles futores habuerunt; si Ecclesiam Dei, ho-
mo ille justus, & ad testimonium conjugalis semper
mansure virginicatis electus, cui despontata erat
Virgo Maria, quæ peperit Christum, faber suis.
Quidquid ergo horum cum innocentia, & sine frau-
de homines operantur, bonum est. Nam præcavet
hoc & ipse Apostolus, ne quisquam ex necessitate
sustentanda vita in mala opera delabatur. Qui fu-
tabatur, inquit, jam non suretur: magis autem
laboret manibus suis bonum; ut habeat unde tribue-
re cui opus est. At at, his postremis verbis hæret
Mamachius, contenditque eatenus Monachos operi
vacare debere, ne vixus egitatem surentur. Verum
quum tantum nunc habeant divitiarum, ut jam extra
surandi necessitatem sint, licere eis otiose vivere.
Dextrum sane interpretem! Quasi ad Monachos
referri recte possit, quod Augustinus ad ceteros
alios pertinere scribit. Aut minus furti se alligant
illi, qui nullam reipublicæ conferantes operam, desides
bona reipublicæ exedunt, Verum totum hoc, quod
est

est ita perversum , ut ridiculum , relinquamus . De tempore vero , quo operi vacabat Apostolus , hec addit : 15. Quando autem soleret operari , id est , quibus temporum spatiis , ne ab evangelizando impediretur , quis possit comprehendere ? Sane quia & diurnis & nocturnis horis operabatur , ipse non tacuit . Verum tamen , qui tanquam multum negotiosi , & occupati de tempore operationis inquirunt , quid agunt ? Num quid ipsi ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum terras Evangelio repleverunt ? Aut quid quid gentium barbararum remansit adhuc obeundum & implendum de pace Ecclesie suscepserunt ? Novimus eos in quamdam sanctam societatem otiosissime congregatos . Mirandam rem fecit Apostolus , qui revera in tanta solitudine omnium Ecclesiarum , & propagatarum , & propaganderum , ad ejus curam laboremque pertinuum , etiam manibus operabatur : propterea tamen , quum apud Corinthios esset , & egeret , nemini quidem eorum , apud quos erat , gravis fuit ; sed plane quod illi deerat , supplererunt fratres , qui venerunt ex Macedonia . Refellit deinde toto numero 27 ad 35 eorum Monachorum ratiunculas , simul & eorum ignaviam deridet , qui quod in Evangelio legerant , non esse cogitandum de crastino , & alia , quae inibi scripta inveniuntur , Monachum labore vacare contendebant . Et ne ullum desidiosis illis Monachis relinquenter effugium , agit toto numero 7 , & sequentibus de Apostolis , quibus , sicut & discipulis aliis permisum fuit , ut ab opere immunes , deque Evangelio interea viventes , libere legis praecorium enunciarent : sed illam permissionem fuisse affirmat , non autem iussionem . Relatis enim divinis ejus immunitatis verbis , addit : Hic apparet , non esse illa iussa , sed permissa (ut scilicet de Evangelio sine manuum opere viverent) ut quisquis uti vellet , eo uteretur quod sibi liceret

ex Domini constitutione : si quis autem uti nollet , non contra iussum faceret , sed de suo jure cederet , misericordius & laboriosius conversatus in Evangelio , in quo & debitam mercedem nollet accipere . Alioquin contra iussum Domini fecit Apostolus , qui postquam ostendit sibi licere , statim subjecit : Sed tamen ego non sum usus hac potestate . Deinceps pluribus argumentis confirmat , eam potestatem factam Apostolis non operandi , esse intelligendam de opere corporali . Qua tamen potestate Paulum uti noluisse eo certe consilio , ne Evangelii causa mercimoniorum nundinas exerceri aliquis argueret . Vide quid respondeat (Paulus) : Ut evangelizans , inquit , sine sumptu ponam Evangelium , id est , ut non sit creditibus sumptuosum Evangelium , ne putent ad hoc sibi evangelizari , ut id Evangelista quasi vendere videantur . Et tamen reddit etiam atque etiam , ut ostendat quid sibi jure dominico licet , & ipse non faciat : Ut non abutar , inquit , potestate mea in Evangelio . Quibus rebus dispositis , Augustinus proprius accedit , ut ostendat causas , quare , Apostoli , ceterique omnes qui altari serviunt , ea operandi lege forent soluti . Causas nimirum justissimas fuisse duas confirmat num . 35 , id est , corporis viriumque infirmitatem , & rerum sacramrum procurementem . Rectissime sane . Neque enim sine immanitate debemus mancos , & membris captos , aut quacunque alia corporis infirmitate vel aegritudine laborantes , quia non operentur , deserere : quam potius ex Christiana religionis a primis usque temporibus recepto instituto , eos alere , & sovere in Ecclesia Christianorum beneficentia & liberalitas consueverit . Verumtamen illam corporis , sive virium debilitatem re fore talem , & veram vult Augustinus , non simulatam , aut ementitam . Aliud est enim , inquit , corporis infirmitatem , vel

veram allegare, vel falsam pretendere: aliud autem sic decipi, & sic decipere, ut insuper ideo videatur in servis Dei major esse justitia, quia potuit inter imperitos regnare pigritia. Qui enim veram corporis ostendit infirmitatem, humane tractandus est: qui autem falsam pretendit, & convinci non potest, Deo dimittendus est: neuter tamen eorum perniciosa regulam fit: quia bonus servus Dei & manifeste infirmo satri suo servit, & fallenti quem credit, quia malum eum non putat, non imitatur, ut malus sit: & si non ei credit, fallacem putat, ac nihilominus non imitatur. Ab illo vero qui dicit, Hec est vera justitia, ut nihil corporaliter operando imitemur volatilia cali, quoniam qui tale aliquid fuerit operatus, contra Evangelium facit; quisquis animo infirmus hoc audit, & credit, non quia sic vacat, sed quia sic errat, lugendus est. 22. At de ecclesiasticis occupationibus impensis agit Augustinus. Et quia Mamachius id prorsus agere videtur, ut ob unam rerum sacrarum administrationem, Monachos universos ab opere sevocandos censeat; propterea & nos paulo diligentius rem omnem enarrabimus. Ac primo Augustinus perspicuis argumentis ostendit, merito suo Apostolos, & ceteros illos prædicationis ministros, propter gravissimas ipsorum occupationes, divinitus habuisse operis vacationem, tametsi eorum nonnulli minus ea sint usi. Quam ad rem affert illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 9. *Quis militat suis stipendiis? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit?* Et alia quæ ibi leguntur num. 8. Monet propterea, ut & Paulo pareamus, qui exemplo etiam suo operosa vita nobis præbuit documenta; & ejusdem quoque iussioni obtemperemus, qui divites vult de suis facultatibus largiri, quod ad victum ministrorum templi satis sit: iis

videlicet alimentum *Suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium*, quod *laborantibus*, & *aliquid unde victum transigant operariibus*, propter *infirmitates tamen corporales aliquorum*, & *propter ecclesiasticas occupationes*, vel *eruditionem doctrinae salutaris*, *deesse putaverint*. 19. Ne quis vero desidiosus Monachus ansam inde capiat detrectandi laboris, eo quod orationi, & psalmodiae, & lectio, & verbo Dei vacare oporteat, ausculta, Mamachi, quid ea de re addat sapientissimus Doctor: *Quid enim agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vident, scire desidero. Orationibus, inquiunt, & psalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sancta plane vita, & Christi suavitate laudabilis: sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipse esse quotidie preparandae, ut possint apponi, & assumi. Si autem ad ista vacare servos Dei certis intervallis temporum ipsius infirmitatis necessitas cogit, cur non apostolicis preceptis observandis aliquas partes temporum deputamus? Citius enim exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. Cantica vero divina cantare, etiam manibus operantes facile possunt, & ipsum laborem tanquam divino celestis mate consolari. An ignoramus, omnes opifices quibus vanitatibus, & plerunque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum dinent corda & linguas suas, quum manus ab opere non reculant? Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini aliissimi; ita sane ut ad ea discenda, quæ memoriter recolat habeat seposita tempora? Ad hoc enim illa bona opera fidelium, subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, ut hore, quibus ad erudiendum animum ita vacatur, ut illa opera corporalia geri non possint, non opprimant egestate. Qui autem sic dicunt vacare lectio, nonne illic inveniunt quod pre-*

cipit Apostolus? Quæ est ista ergo perversitas, letioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, & ut quod bonum est diutius legatur, ideo facere nolle quod legitur? Quis enim nesciat, tanto citius quemque proficere quam bona legit, quanto citius facit quod legit? 20. Operari vero nolentes obtentu erogandi verbi Dei sic castigat: Si autem alicui sermo erogandus est, & ita occupat, ut manibus operari non varet; numquid hoc omnes in monasterio possunt, venientibus ad se ex alio genere vita fratribus, vel divinas lectiones exponere, vel de aliquibus quæstionibus salutaribus disputare? Quando ergo non omnes possunt, cur sub hoc obtentu omnes vacare volunt? Quamquam et si omnes possent, vicissitudine facere deberent, non solum ne ceteri a necessariis operibus occuparentur, sed etiam quia sufficit, ut audientibus pluribus unus loquatur. Deinde ipsi Apostolo quomodo vacaret operari manibus suis, nisi ad erogandum verbum Dei certa tempora constitueret? Neque enim & hoc Deus latere nos voluit. Nam & cujus artis opifex fuerit, & quibus temporibus vacaret dispensando Evangelio, sancta Scriptura non tacuit. 21. Ad quæ verba si attendere libuisset Mamachio, opinor, non adeo cerviculam suam jactasset. Nam quas commentitias ipse obtendit verborum Augustini interpretationes, eas mera esse deliramenta, satis res ipsa demonstrat. Quod si pertinax adhuc esse voluerit, adeat Johannem Mabillonum, monasticarum antiquitatum minime incuriosum, qui in suo de studiis Monasticis commentario, quid ea de re tornaret, indicare veritus non est (1).

Ob-

(1) Verum ex universo D. Augustini tractatu de opere Monachi sat loqui constat, mentem ipsius quantum

J. ANDR. SERRA.

Objecerat autem sibi Augustinus num. 23 ignavorum Monachorum quæstiones , qui ajebant , sicuti Apostoli , & ceteri fratres Domini acceperant hanc potestatem , ordinante Domino , ut qui Evangelium annuntiarent , ex Evangelio viverent , hoc ipsum beneficium quominus sibi tribuatur , faciendum non esse . Quibus ita respondet : *Hanc questionem breviter solverem , si dicerem , quia & juste dicerem , credendum esse Apostolo . Ipse enim sciebat , cur in Ecclesiis gentium non oporteret portari venale Evangelium , non culpans coapostolos suos , sed distinguens ministerium suum : quia ita inter se distribuerant , procul dubio admonente Spiritu Sancto , evangelizandi*

tum ad hoc esse : *Quod si in prefatis muneribus ecclesiasticis tempus ita absumatur , ut nihil prorsus ad laborem supersit , ut revera Apostolis contingebat (Monachi namque a S. Doctore ibi confutati , eorum aducebant exemplum) tunc sane vel ipsi possunt immunes ab opere declarari : quemadmodum sanctis iis Monachis fortassis obtigit , quos S. Johannes Chrysostomus in Phœniciam misit ad infidelium conversionem . At vero respectu eorum , qui statim dumaxat horis , vel Altari serviantur , vel ad ecclesiastica munia occupantur (propter ecclesiasticas occupationes) D. Augustinus utique vult eo tempore manualem posse intermitte laborem , non autem cumdem absolute negligi . Ceterum perspicuum est , sanctum legislatorem nostrum Benedictum nunquam cum Monasteriorum Sacerdotibus ab illo dispensasse : de iis namque in Regula habet : Scientes se multo magis disciplinæ regulari subditos . Nec enim occasione Sacerdotii obliisci debent Regule obedientiam & disciplinam , sed magis ac magis in Deum proficere . De stud. Monast. cap. XIV.*

di provincias , ut Paulus , & Barnabas ad gentes
irent , illi autem in circuncisionem . Hoc tamen eum
precepisse iis , qui non habebant ejusmodi potestatem ,
ea , quæ jam multa dicta sunt , manifestant . Ita
autem fratres nostri temere sibi arrogant , quantum exi-
stimo , quod ejusmodi haberent potestatem . Si enī
Evangeliste sunt , fateor , habeant : si ministri alta-
ris , dispensatores sacramentorum , bene sibi istam
non arrogant , sed plane vindicant potestatem . Qui-
bus verbis non aliam tribuamus oportet sententiam ,
quam quæ ex universi commentarii ordine & argu-
mento desumenda est . Ex serie enim rerum ex-
positarum , nihil aliud verbis illis voluisse Augusti-
num , apparet , quam , si rerum sacrarum functiones
adeo operosæ forent , & assiduæ , quales prorsus
erant veterum illorum ministrorum altaris , qui sa-
cramenta ita dispensabant , ut operandi minus suspete-
ret tempus ; tum recte petendam esse operis vaca-
tionem . Tum adhibendum exemplum Apostolorum ,
qui , quod procreationi Ecclesiæ totos fese tradide-
runt , jure potestatem sine opere vivendi de Evan-
gelio a Domino acceperant . Quæ eadem potestas
merito proinde Episcopis , & Parochis tribui potest ;
Monachis qui potest ? Nam Clerici munus univer-
se Clericos omnes ab opere faciendo non eximere ,
nisi quando cura sacrorum nullum concedit labori
locum , rem esse sane quam exploratam arbitror .
Indicat id ordo a Christo Domino , atque ab
Apostolis non minus voce , quam exemplo in Ec-
clesia constitutus . Indicant Canones Concilii IV
Carthaginensis , a Mamachio item recitati : sic
enī se habent : Can. LI. *Clericus quantumlibet
verbo Dei eruditus , artificiolo victimum querat .* Can.
LII. *Clericus victimum , & vestitum sibi vel artificio-
lo , vel agricultura , absque officiis sui derimento , pa-
ret .* Can. LIII. *Omnes Clerici , qui ad operan-
dum*

dum validiores sunt , artificiola , & litteras discant . Quod si Clerici sacri officii causa nullam habebant operis immunitatem , sed artificiola , vel agricultura viatum sibi & vestitum parare oportebat ; quid de Monachis , dicendum , qui ejurata facultatum possessione , votum præterea addunt paupertatis ? Atque hec est ratio , propter quam in Regula Magistri sanctum est , quod si contingat , Sacerdotes aliquos seculares ad Religionem transire , hosque manualem dignari laborem , ad proprias actuum Ecclesiæ remittantur : quandoquidem tantum abest , quod a sacerdotali charactere ab eo eximantur , ut potius ex hoc reliquis teneantur esse exemplo , implendo scilicet in semetipso preceptum illud , quod & ceteros edocere tenentur , videlicet : Qui non laborat , nec panem ad manducandum habeat . Verba sunt Mabillonii ex lib. 1. de stud. Monast. cap. XIV. Quæ quidem satis esse puto , quæ Mamachii magnifica verba comprimant , ne posthac Monachis , sacri munera causa , vacationem universe tribuendam existimet .

Sed eo , unde digressi sumus , revertamur . Duabus illis causis vacationis ab opere , quas haecenus enarravimus , aliam etiam , etsi minoris momenti , addere viderur Augustinus . Homines nempe , qui monasticum institutum amplectuntur , alios esse , ait , qui ex classe operariorum , humiliisque conditionis , alios qui ex ordine illustrium , ac divitium proficiscuntur . Humiliores quidem , & pauperes nefas esse opera manuum detrectare : adeo ut Si nolint operari , nec manducent : ne scilicet in caltra Monachorum mollioris vita ducenda causa , id quod antea assequi nequierant , venisse videantur . Cum nobilibus vero , ac divitibus lenius egit (1) . Vult enim

(1) 25. Si saltē habebant aliquid in hoc seculo , quo

enim illos , si nulla infirmitate corporis impediatur , opificia non contemnere . Id enim cum ad sanandum prioris superbiae tumorem , tum ad au-

fe-

quo facile sine opificio sustentarent istam vitam , quod conversi ad Deum indigentibus disperiti sunt , & credenda est eorum infirmitas , & ferenda . Solent enim tales , non melius , sicut mulii putant , sed , quod est verum , languidius educati , laborem operum corporalium sustinere non posse . Tales fortasse multis erant in Ierosolyma . Nam & scriptum est , quod prædia sua vendiderint , & pretia eorum ante pedes Apostolorum posuerint , ut distribueretur unicuique sicut opus erat Nunc autem veniunt plerunque ad hanc professionem servitutis Dei & ex condizione servili , vel etiam liberti , vel propter hoc a dominis liberati , sive liberandi , & ex vita rusticana , & ex opificium exercitatione & plebejo labore , tanto utique felicius , quanto fortius educati : qui si non admittantur , grave delictum est . Multis enim ex eo numero vere magni & imitandi extiterunt Hec itaque pia & sancta cogitatio facit , ut etiam tales admittantur , qui nullum afferant mutata in melius vita documentum . Neque enim apparet , utrum ex proposito servitutis Dei venerint , an vitam inopem & laboriosam fugientes vacui , passi atque vestiri voluerint , & insuper honorari ab eis , a quibus contemni conterique confueverant . Tales ergo quoniam se quo minus operentur , de infirmitate corporis excusare non possunt : præterita quippe vita consuetudine convincuntur , umbraculo male discipline se contingunt , ut ex male intellectio Evangelio præcepta apostolica pervertere meditentur : vero volatilia cali , sed per superbiam in altum se extollendo ; & scurrum agri , sed carnaliter sentiendo .

serendam pigris ex vita humiliore , & exercitatiōe
venientibus excusationem , plurimum valere . Sin
nolint operari , cogendos non esse . Solent enim ta-
les , non melius , sicut multi putant , sed quod est
verum , languidius educati , laborem operum eor-
poralium sustinere non posse 25. Ne vero desidia se-
ſe dedant , ipsis attribuenda ea Monasterii opera,
quaे , tametsi a corporali functione sint liberiora ,
vigilanti tamen administratione curanda sunt , ut nec
ipſi panem suum , quoniam communis jam factus est ,
gratis manducent (1). Graviter autem succenset eo-
rum

(1) 32. Si ad hanc vitam ex divite quisquam con-
vertitur , & nulla infirmitate corporis impeditur ,
tane despimus a sapore Christi , ut non intelliga-
mus quantus superbiae prioris tumor sanetur , quum
circumcisus superfluis , quibus ante animus exitiabili-
ter inflammabatur , ad modica , que restant , huic
vitae naturaliter necessaria , etiam opificis humilitas
minime recusat ? . . . 33. Quamobrem etiam illi ,
qui relicta vel distributa , sive ampla , sive qua-
licumque opulenta facultate , inter pauperes Christi
pia & salubri humilitate numerari voluerunt ; si
corpore ita valent , & ab ecclesiasticis occupatio-
nibus vacant , (quanquam eis tam magnum animi
sui documentum afferentibus , & ejusdem societatis
indigentiae de his rebus , quas habebant , vel pluri-
mum , vel non parum conferentibus , vicem susten-
tandæ vita eorum res ipsa communis , & fraterna
caritas debeat) tamen si & ipſi manibus operentur ,
ut pigris ex vita humiliore , & ob hoc exercitatiōe
venientibus auferant excusationem , multo misericordius
agunt , quam quum omnia sua indigentibus diviserunt .
Quod quidem , si nolint , quis audeat cogere ? Quibus

sum temeritatem, qui ne dum iidem ipsi otiani, sed alios etiam a labore avocare cupiebant. Contingit enim eis, inquit, quod in viduis junioribus indisciplinatis cavadum idem Apostolus dicit: simul autem & otiosa esse discunt, non solum autem otiosa, sed etiam curiosa & verbosa, loquentes quae non oporteat. Hoc ille de malis feminis dicebat, quod nos etiam in malis viris dolemus & plangimus, qui adversus eum ipsum, in cuius epistolis ista legitimus, otiosi & verbosi, que non oportet loquentur. Et si qui sunt inter eos, qui eo proposito ad sanctam militiam venerint, ut placeant cui se probaverunt, quum ita vigeant viribus corporis, & integritate valetudinis, ut non solum erudiiri, sed etiam secundum Apostolum operari possint, exceptis istorum otiosis corruptisque sermonibus, quos judicare per imperitum tyrocinium non valeant, in eamdem labem pestifera contagione mutantur: non solum non imitantes obedientiam sanctorum quiete operantium, & aliorum Monasteriorum in saluberrima disciplina

se-

bus ramen invenienda sunt opera in Monasterio, etiam a corporali functione liberiora, sed vigilante administratione curanda, ut nec ipsi panem suum, quoniam communis jam factus est, gratis manducent. Illi autem qui etiam praeter istam sanctam societatem vitam labore corporis transfigebant, ex quorum numero plures ad Monasteria veniunt, quia & in ipso humano genere plures sunt; si nolunt operari, nec manducent. Neque enim propterea in militia christiana ad pietatem divites humilientur, ut pauperes ad superbiam extollantur. Nullo modo enim decet, ut in ea vita, ubi fiant senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi: & quo veniunt, relictis delicis suis, qui fuerant prediorum domini, ibi sint mystici delicati.

Secundum apostolicam normam viventium, sed etiam insultantes melioribus, tanquam conservatricem Evangelii predicantes pigritiam, tanquam prævaricatricem accusantes misericordiam. Multo enim misericordius operatur erga animas infirmorum, qui bona fame servorum Dei consulit, quam erga corpora egentium, qui panem esurientibus frangit. Quapropter utinam isti, qui vacare volunt manibus, omnino vacarent Linguis. Neque enim tam multos ad imitationem invizarent, si eis non tantum exempla pignra, sed etiam muta proponerent. 26. Quam vellem hunc locum paullò diligentius expendisset Mamachius! Facile enim fuisset intelligere, quorsum verba illa pertineret, Non solum erudiri, sed etiam secundum Apostolum operari. Et profecto minus multa temere effutisset: nec profanis ansam præbuisset, hujus temporis Regularibus objiciendi, quæ tum Augustinus de Monachis otiosis, & vagis adnotavit (1).

At-

(1) 36, Que quum ita sint, sine me paululum, sancte frater (dat enim mihi Dominus per te magnam fiduciam) eos ippos alloqui filios, & fratres nostros, quos novi quanta nobiscum dilectione parturias, donec in eis apostolica disciplina formetur. O servi Dei, milites Christi, itane dissimulatis callidissimi hostis insidias, qui bonam famam vestram, tam bonum Christi odorem, ne dicam anime bone, Post odorem unguentorum tuorum curremus, & sic laqueos ejus evadant, omni modo cupiens obscurare putoribus suis tam multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaquam dispersit, circumeuentes provincias, nusquam missos, nusquam stantes, nusquam sedentes? Alii membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant: alii fimbrias & phylacteria sua magnificant: alii

24

Atque ut eorum reselleret voces Augustinus, qui ei forte obiicerent illud Scripturæ, quasi onera gravia vellet alligare, & alienis humeris imponere, quæ ipse digito attingere nollet; labores, & occupationum suarum gravitatem enarrare non recusat, ipsum Christum Jesum testatus, vehementer sane, semperque optasse aliquid manibus suis operari, unde vitæ commoda pararet, simul & certas horas habere ad legendum, & orandum. Sed ab immensa negotiorum mole districto ei hoc facere non licuisse (1). Denique de opere Monachorum dispu-

E ta-

parentes vel consanguineos suos in illa, vel in illa regione se audisse vivere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucroscè egestatis, aut simulate pretium sanctitatis: quum inserea ubicunque in factis suis malis comprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur, tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pulchulare. Nomo ergo inflammamini zelo Dei? Nomo concalescit cor vestrum integrum, & in meditatione vestra exarlescit ignis, ut astorum mala opera bonis operibus persequantur, ut eis amputatis occasionem ruspium nundinarum, quibus existimatio vestra leditur, & infirmis offendiculure ponitus? Misericordia ergo, & compatimini, & ostendite hominibus, non vos in otio facilem victimum, sed per angustam & arcam viam hujus propositi, regnum Dei querore. Eadem vobis causa est, que Apostolo fuit, ut amputatis occasionem iis, qui querunt occasionem, at qui illorum pueribus prejocantur, in odore vestro bono reficiantur.

(1) 37. Non alligamus onera gressus, & vestris hu-

tationem his claudit gravissimis verbis: *Hæc, mihi carissime, & in Christi visceribus venerande frater Aureli, quantum donavit ut possem, qui per te miseri- li jussit ut sacerdem, de opere Monachorum non distin-*

humoris imponimus, quæ nos digito attingere nolumus. Quarite, & agnoscite labores occupationum nostrarum, & in aliquibus nostrorum etiam corporum infirmitates, & Ecclesiæ, quibus servimus, talen- tam jam consuetudinem, ut nos ad illa opera, ad quæ vos hortamur, vacare non sinant. Quanquam enim dicere possimus, *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit?* Tamen Dominum Jesum, in cuius nomine securus hæc dico, testem invoco super animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari (si tamen per Thomam Mamachium licuisse) & ceteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis litteris agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis secularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo precidendis: quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus, qui per eum loquebatur arbitrio, quas tamen ipsum perpeccum fuisse non legimus. Aliter enim se habebat apostolatus ejus discursus. Nec dixit, Secularia igitur judicia si habueritis, ad nos deferre, aut nos constituite ad iudicandum: sed, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos, inquit, collocate. Ad reverentiam vobis dico: sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter

Si scribere, id maxime curans, ne bonis fratres
stolicis preceptis obedientes a pigris, & inobedientibus etiam praevaricatores Evangelii dicentur: ut qui non operantur, saltem illos qui operantur sibi antependos esse non dubitent. Ceterum quis ferat homines contumaces saluberrimis Apostoli monitis resistentes, non sicut infirmiores tolerari, sed sicut etiam sanctiores predicari, ut Monasteria doctrina sanctiore fundata, gemina illecebra corrumpantur, & dissoluta licentia vacationis, & falso nomine sanctitatis? Sciant ergo etiam ceteri fratres, & filii nostri, qui favete talibus, & hujusmodi presumptionem per ignorantiam

E 2

inter fratrem suum judicare: sed frater cum fratre judicatur & hoc apud infideles? Sapientes ergo qui locis confitebant fidèles & sanctos, non qui hac atque hac propter Evangelium diserturabant, talium negotiorum examinatores esse voluit. Unde rursum de illo scriptum est, quod aliquando talibus vocaverit, a quibus nos excusare non possumus, etiam si contemptibiles simus: quia & hos collocari voluit, si sapientes defuerint, potiusquam ut negotia Christianorum deferrentur in forum. Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vite eternae, ut fructum feramus cum tolerantia. Servi enim sicutus ejus Ecclesia, & maxime infirmioribus membris, qualilibet in eodem corpore membra simus & Omnes alias innumerabiles ecclesiasticas curas, quas fortasse nemo credit, nisi qui expertus est. Non ergo diligamus onera gravia, & humoris vestris impeditissima, que nos dligito non tangimus: quandoquidem si officii nostri salva ratione possimus (videt iste qui probat corda nostra) mallemus hec agere, que nos agatis horramur, quam ea, que nos agere cogi-

J. ANDR. SERR.

defendere consuerunt, se potissimum corrigendos, ut illi corrigi possint, non ut infirmentur, benefacere. Sane in eo quod servis Dei prompte, atque alacriter necessaria subministrant, non solum non reprehendimus, sed etiam suavissime amplectimur: sed ne perverse misericordia magis eorum futura vita noceant, quam presenti subveniant. Quibus eisdem verbis liceat mihi Mamachium, non vexandi causa, ut saepe ille me, sed more christiano, compellare.

Hac prorsus fuit Augustini de opere Monachorum sententia: quæ quidem tametsi per se ipsa illustrior sit, quam ut a nobis majori luce aspergatur; eamque satis aperte declareret ipsum commentarii argumentum; summam tamen illius non erit abs re ordine hic recensere. Nam universa ea de re Augustini disciplina ad hæc fere capita referri potest: I Pauli esse præceptum, *Qui non vult operari, nec manducet*, quod peræque ad omnes pertinet Christianos: ipsum vero Apostolum habuisse operis vacationem: sicuti & ceteros Apostolos, qua tamen eum uti noluisse: contra que ea manifestissima verba non esse disputandum. II Opus fuisse illud vere corporale, nempe fabrorum, aut futorum, aut rusticorum, aut his simile, quod reipublicæ esset utile. III Eidem vero Apostolo in tantis apostolatus occupationibus tempus non desuisse, quo suo de opere victum sibi compararet. IV Illum autem vacationem, quam Apostoli habuerunt, fuisse permisam, non jussam, ita ut liberum cuique esset ea uti, nec ne. V Apostolum tamen ea immunitate usum non fuisse, ne Evangelium habere quæstuosum videretur. VI Causas esse justas vacationis, corporis infirmitatem, & rerum sacrarum procriptionem. VII Orationes tamen, psalmodiam, lectionem, & verbi Dei prædicationem, quin etiam eruditionem, nempe studia litterarum, impedimento esse non debere, quo minus quisque opus manuum

num aliquod exercebat. VIII Sacmentorum vero administrationem , & ceteras ecclesiasticas occupaciones eatenus Monachos ab opere immunes facere , quoad ex ea rerum divinarum procuratione nihil iis ad opus faciendum suffpetat temporis . IX Utique Monachi , ex divitium & nobilium conditione venientes , non esse , cur operari recusent : qui si operari prorsus noluerint , cogendos non esse : eisdem nihilominus attribuenda ea Monasterii officia , quæ sedulam curam postulant , ut nec ipsi panem suum gratis manducent . X Indignum vero esse eorum Monanachorum facinus , qui nedum ipsi otiosi & nihil agentes , sed illud etiam agunt , ut imperitis suis sermonibus ceteros ab opere ad desidiam invitent . XI Ipsum denique Augustinum , Episcopum , & maximis rerum gravissimarum oneribus pene obrutum , illud semper optasse , ut aliquid manibus suis operari liceret , unde vita necessaria sibi pararet . Hæc profecto est doctrinæ Augustini summa , quam si veluti facem usque fecutus sum , haud me poenitebit . Sed ea si cum illa conferatur summa , quam certis conclusiunculis distinctam adversus ea , quæ a me scripta fuerant , velut operis complementum peregit Mamachius ; nemo non sentiet , quid inter rationationem intersit , & vaniloquentiam . Sunt enim ibi omnia temere congesta , & inter commentitias fabellas referri jure possunt . Quæ autem ego ex Augustini doctrina collegi , utrum ex certis sint deducta principiis , aliorum esto judicium . Audacter certe affirmabo , per quam mirum videri debere , ausum esse eum tam turpiter usurpare sanctissimum nomen Augustini . Etenim sit callidus Mamachius , sit in differendo versatus ; quascunque tamen excogitavit cavillationes , & interpretationes vafras , vides , Bottari sapientissime , eas propemodum non alias esse , quam quas olim obtrulerant

Monachi illi, nimium otti cupidi, quasque scientissime refutaverat Augustinus.

Quod si nihilominus Mamachius aliquem postulaverit Augustini explanatorem, qui nobis illius sententiam sine circuitione verborum, & planissime demonstret; sumamus, obsecro, aliquem, qui ab omni suscipione remotus, germanam nobis exhibeat augustinianæ sententiaz intelligentiam. At quem probiorem optamus Augustini interpretem, quam (vide quoisque de causa bonitate confidam) D. Thomam Aquinatem? Et profecto nulla major ac verior S. Doctoris laus, quam quod Augustini doctrinam, ac propemodum singula vestigia universe secutus sit: & vero etiam Thomæ testimoniū apud Mamachium plurimum valere debet. Et quoniam cum Mamachio admodum liberaliter agere placet, hac de re consulamus eum locum prorsus ad quem me, pudore scilicet suffusum, amandat ipse. Is est Thomæ locus in 2. 2. quest. 187, ubi art. 4 plane circumscripere complexus, quæ ante in art. 5. exposuerat, in conclusione hæc inter cetera statuit: *Si vero aliqui sint Religiosi, qui absque necessitate, & utilitate, quam afferant, velint otiosi, de elemosynis, quæ dantur pauperibus, vivere; hoc est eis illicitum.* Deinde vero in respons.: *Ad quintum dicendum, quod quando apparet manifesta necessitas, & utilitas, propter quam aliqui Religiosi de elemosynis vivant absque opere manuali, non scandalizantur ex hoc infirmi, sed malitiosi, more Pharisorum, quorum scandalum contempnendum Dominus docet Matth. 15.* Sed si non esset evidens necessitas, & utilitas, posset exinde generari scandalum infirmis; quod esset vitandum. Idem tamen scandalum imminere potest de iis, qui facultatibus communibus otiosi utuntur. Quæ postrema verba male, opinor, sonare videntur Mamachio. Aliquam idcirco inveniet idoneam interpre-

pretationem : aut denique totum illum articulum 4 non esse Thomæ affirmabit : mira est hominis in ea re facultas . Interea tamen , dum is Patrum monumenta in fontibus consulit , ajo , poterat ne D. Thomas significantius universam Augustini sententiam panticis verbis complecti ? Otentit nimurum , tum Monachos , remota offensione , posse sine opere manuali de eleemosynis vivere , quum esset evidens necessitas & uilitas : idem autem valere cum iis , qui facultatibus communibus oiose utuntur . In quo quidem Thomas Augustini persecutus est disciplinam , ut sæpius ibidem ipse demonstrat . Quod profecto eo majorem vim habere puto , quod quæ Augustinus de sui temporis Monachis disseruit , ea Thomas ad Monachos Mendicantes prorsus pertinere affirmavit . At vero tam perspicuum Thomæ Aquinatis sententiam Thomam Mamachium thomisticis disciplinis innutritum latuisse , per quam mirum videri potest . Latuisse , inquam : nam si minus , non tam mirum , quam aliquid gravius videri debet . Attamen videre jam videor Mamachium inflatis buccis vociferantem , non eum esse Thomæ locum , quem maxime expendi cupiat : alium esse clamat , & quidem luculentissimum , unde hujusc questionis illius eruimus sententiam , id est Opusculum XIX . Age , gerendus est ei mos , quoniam semel liberales esse cœpimus . Fateor equidem , Bottari , eo in Opusculo illud prorsus egisse D. Thomam , ut Coenobitas , & Monachos omnes contra adversariorum insectationes & contumelias defenderet : præsertim vero refellendas suscepisse criminationes Guillelmi de Sancto amore , qui non vulgari quadam sapientiae opinione multas accusations , multos etiam errores contra Mendicantes in vulgus disseminaverat . Verum quamvis ad eam causam accesserit D. Thomas jussu suorum Praefectorum , quamvis suam ipse causam totis lacertis &

viribus defendere aggressus sit ; fateor item , & una mecum fateatur oportet Mamachius , nihil usquam ab eo fuisse pronuntiatum , quod a suscepta cultaque Augustini disciplina quidquam abhorreret . Nam in Cap. V ejusdem illius opusculi sic affirmat : *Quando aliquis per laborem manuum non retrahitur ab aliquo utiliori opere , melius est manibus operari , ut exinde possit sibi sufficere , & aliis ministrare , & præcipue quando esset in scandalum infirmorum .* Et deinde in Cap. VII , *Ad septimum (inquit) dicendum , quod lex illa (de mendicantibus validis) loquitur de validis mendicantibus , qui nullam utilitatem reipublice afferebant , sed otiose viventes usurabant illud , quod alii pauperibus debebatur : quod patet ex hoc , quod lex eos inertes nominat , sicut sunt guliardi , & alii similes , qui victimum ab hominibus querunt otiose viventes , quod non nisi perversissime in Religiosos retorqueri potest .* Vides , Mamachi , D. Thomam operis vacationem concedere Cœnobitis navis & industriis , & bene de republica merentibus ; denegare vero inertibus & inutilibus ? Atque illud prorsus est , quod mirifice congruit cum Augustini sententia : quam , si ego unquam secutus sum , nec Mamachius , nec quisquam alias jure mihi criminis , aut probro tribuere potest .

At revocat se tandem Mamachius , atque inquit , minime verum esse nunc temporis exulasse Monasteriis manuum opus , quum in unoquoque extare videamus minorum gentium Monachos , quos Conversos vocat , quorum munus , ceteris inservire , & rei domestica curam gerere . O præclarum opus ! Et quidem ... Sed his abstineamus , ne quis fortasse parum me honorifice , pro eo ac debeo , de sanctissimo Monachorum instituto sentire suspicetur . Id unum jam audacter dicere posse videor , non temere me , nec sine justa de causa scripsisse in Adnotationibus , *Monastici ordinis conditores , ac præ-*

ce-

ceteris Basiliū, & Benedictū, nihil tantopere aluminis suis edixisse, quam ut manibus suis, opere faciendo, quod ad vitam sustentandam opus esset, sibi compararent. Idque duobus præsertim de causis factum affirmavi, & ut honesto aliquo negotio otii languorem effugerent, & ut nemini essent onerosi. Quod præclare declaraverat Augustinus cum alias, tum etiam in libro de morib[us] Ecclesiae, instituta Monachorum Ægypti commendans (1). Quamobrem insectetur licet Mamachius, plane ostendisse arbitror, nihil hisce in verbis meis deprehendi, quod non modo cum instituto, & loquendi forma D. Basiliī, & Benedicti, sed cum ceterorum etiam sapientissimorum Patrum sententiis, & verbis etiam non sit consentaneum. Quod si tam sanctissimi, tamque omni laude præstantissimi viri ita de Monachis judicarunt; putas, clarissime Bottari, male mecum agi, si conducibilius mihi, & honestius existimem, illis D. Pauli discipulis errare potius, quam isthoc magistro erudiri? Denique ut fuerit æquius, Monachos in otio esse, quam in negotio & labore; non ego, qui SS. Patrum dictis steti, sed Patres ipsi, qui tantopere Monachis opus commendarunt, in culpa esse debent.

At-

(1) Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerofus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & a Deo mens impeditri non possit.... Sane quidquid necessario vietui redundat (nam redundant plurimum ex operibus manuum, & epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis, qui distribuunt, comparatum est. Nullo modo namque satagunt, ut hec sibi abundant, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, que inopes insolunt. cap. 31.

Atque etiam nobis opponit testimonium Cassiodori: quod ego dum lego, addubitare soleo, serione Mamachius, an pueriliter agere voluerit. Cassiodori locus est ex lib. Institut. Divin. cap. XXVIII, ubi haec leguntur: *Quod si alicui fratum, ut meminit Virgilinus,*

*Frigidus obsistit circum precordia sanguis,
ut nec humanis, nec divinis litteris perfecte possit erudi-
diri, aliqua tamen scientie mediocritate suffultus,
eligit certe quod sequitur:*

*Rura mihi, O rigui placeant in vallibus a-
mnes.*

*Quid nec ipsum est a Monachis alienum, hor-
tos colere, agros exercere, O' pomorum fecun-
ditate gratulari. Legitur enim in psal. CXXVII:
Labores manuum tuarum quia manducabis, bea-
tus es, O bene tibi erit. Recenset deinde plures
rei rusticae scriptores, quorum Monachis illis copiam
comparasse scribit, ut eorum lectione coledorum
agrorum disserent rationem. Quis autem ex Ma-
machio, quidnam fuit Cassiodoro scribendi consi-
lrium? Ut Monachis, ait, illis suis studia litera-
rum commendaret. Esto. Quid tum? Nempe, si
eorum aliquis nec humanis, nec divinis litteris perfe-
cte possit erudiri, quanquam aliqua scientie mediocri-
tate suffultus (quæ res quam late patet, nemo
non videt) huic agriculturam exercendam proponit:
ea nimirum de cauâ, quia nec ipsum est a Mono-
achis alienum hortos colere, agros exercere O'c. Ubi
animadvertisendum etiam est, opus radicum commen-
dari non Monachis modo illiteraris, quos Conversos
Mamachius appellat, sed litteratis etiam, qui tamen
minus multos in disciplinis habere progressus que-
unt. Hoc nonne est causa tue, Mamachi, sa-
curum iugicere? Nam quidnam tuo instituto potest
esse magis contrarium, quam istuc Cassiodori sen-
tencia.*

tentia? Etenim, quod tantopere ingeris, ediscendi litterarum causa Cenobitas ab opere oportere esse feriatos, quam angustis finibus eo testimonio immunitas illa circumscribatur, nemo non intelligit: quod unum satis esse reor ad omnes conatus tuos infringendos. At rusticos Cassiodorus Monachis illis in colendis agris attribuit. Mitto quorsum isthoc pertineat. An propterea Cassiodorus minus præcipit, nec ipsum esse a Monachis alienum, hortos colere, agros exercere?

Nam quod ibidem testimonium laudat Fulgentii Ruspensis, eodem prorsus pertinet. Nam idem est Fulgentius Augustini disciplinæ æmulus, qui operi manus admoveare minime indignum putavit suis præclarissimis studiis litterarum. Adunatus multitudini Monachorum . . . manibus suis etiam delectabiliter operabatur. Nam & scriptoris arte laudabiliter utebatur, & ex palmarum solii flabellos sapienter contexebat: cui operi, etiam quum fuissest Abbas, in suo Monasterio vacabat. Hæc de D. Fulgentio narrat Ferrandus in ejus vita cap. XIV. Quem tamen locum Mamachius, tametsi pleraque multa ex eodem illo cap. XIV vitæ Fulgentii recitasset, sa- tius duxit silentio pratermittere. Atque his testimo niis Mamachius triumphans, adversariis suis jam de bellatis exitium minitur. Quid ni triumphet? Jam patet in clivum Capitolinum ascensus.

Dicendum nunc aliquid est de D. Justino: de quo ego quum verba illa descripsisse: *Pudor autem ille in virtute est, ut vereamur, si ipsi manibus nostris opus fecerimus, ne quis nos miseros, & aliorum auxilio destinatos esse suspicetur;* dupliciter in eo me errasse arguit Mamachius, & quod librum eum appellavi, quæ epistola est ad Zenam, & Serenum; & quod Justino Martyri opus illud tribuerim, quod incerti est auctoris. Addit tertium erratum, eidem ope-

operi titulum me dedisse *de vita christiana*, quod rectius appellari poterat, *de Monastica Institutione*. Quibus inexpiabilibus criminibus breviter respondeo, novum non esse in veteribus illis, quos ad alios instituendos mittebant commentarios, sine discrimine, modo libros appellasse, modo epistolas. Eum vero commentarium non injuria libri potius nomen meruisse, monet ipsa paulo copiosior oratio: agebaturque de institutione vita christiana, sive monastica, ut placet Mamachio. Incerto vero auctori potius, quam Justino Martyri commentarius ille fueritne tribuendus, tum exquirere parum mea interesse putavi. Secutum me fuisse judicium plurium sapientissimorum virorum, qui latina interpretatione exornatum in vulgus ediderant opus illud, idemque ab Justino minime abjudicaverant, quodnam fuit tam magnum meum peccatum? Nam quod commentarium *de vita christiana* appellavi, quemadmodum alii doctissimi homines appellarunt, qui rectius *de Monastica institutione* vocari oportebat; hoc totum Mamachio relinquo, cuius iis in rebus studiosius exquirendis prudentiam singularem quis ignorat?

Nec absimile, fateor, est flagitium meum in enuncianda sententia illa, quam Socrati tribueram, quae revera sapientissimi cuiusdam Monachi fuit. Socrates enim in lib. IV, cap. XXIII, dicta factaque celebriorum ejus aetatis Monachorum enarrans, ait: *Alius quidam dixit, Monachum, qui opus non faceret, non secus ac alieni cupidum judicatum iri.* Magni profecto intererat prodere, Monachi potius fuisse dictum illud, quam Socratis! O dignam Mamachii operam, quae tot pretiosissimas res ipsi seræ posteritati notas faciet!

At quod ad Euchitas attinet, utrum Mamachius maiorem prodat animi levitatem, an impenitiam suam, haud ita facile statui potest. Scriptura

A P O L O G E T I C U S. 77

ram ego hæc: Euchite vero, qui iudem ac Messaliansi, quod opifia a Monachis arcebant, eo obtenuit, ut precibus & orationi diligentius vacarent, hæreticorum nomen meruerunt: de quibus ita narrat Augustinus in lib. de hæres: Dicuntur Euchitæ opinari, Monachis non licere, sustentanda vita sue causa, aliquid operari, atque ita seipso Monachos profiteri, ut omnino ab operibus vacent. Quibus in verbis meis duo maxime absurdâ contineri, opinatur Mamachi: alterum est, sequi inde eadem ratione licere accusare Apostolos, qui opifia ab se arcebant, ut orationi, & verbi ministerio instantes essent. Alterum est, nulquam apparere, quonam loco scripserit Augustinus, propterea Euchitas hæreticorum nomen meruisse, quod opifia a Monachis arcerent eo obtenuit, ut precibus & orationi diligentius vacarent. Sed quod ex me requiris, Mamachi, item ego ex te requireo, quonam loco scriptum a me reperies, eam de Euchitis ab Augustino rem fuisse constitutam? Nihil enim tale ex verbis meis defumi posse, facile omnes qui latine sciunt, intelligunt: intelligent quoque eam esse putidam, ac prorsus ridiculam Mamachi cavillationem. Euchitarum enim, ut nomen ipsum declarat, eum fuisse errorrem, quod perverse utebantur illo Apostoli Pauli, *Indefinenter orate;* nemo unquam dubitavit. *Qui propterea* (de Euchitis hæc narrat auctor valde bonus, hoc est, Mabillonius) *precium pretextu, manuarias operas,* quibus tum inter alia vacare Monachis solemne erat, omiserunt (1). Quod si grave erit Ma-

(1) *Nos non latet, ab initio monastice instituionis extitisse quamdam Monachorum sectam, quos S. Epiphanius, & Theodoretus Messalianos appellant,* *alii*

Mamachio, Euchitas inter haereticos habitos fuisse, non me, sed alios nescio quos Episcopos inculet, nempe Amphiloquium Iconii, & Flavianum Antiochiz, a quibus Euchitas iteratis synodis decretis fuisse confixos, prodit Photius (1). Nonnulla alia leguntur etiam apud Theodoreum (2). At vero de Euchitis

alii Massalianos, sub Constantio an. 361 exortos, qui a Gracis Euchita dicebantur, idest Precatores (tantum enim sonat Messaliani Syriaca lingua) eo quod omnia bona opera negligentes, solis precibus insistendum dicerent, abutentes illo Pauli Apostoli: Indesinenter orate. Qui propterea precum pretextu, manuarias operas, quibus tum inter alia vacare Monachis solemne erat, omiserunt. Hujusmodi autem secta, presertim in Africa, multum propagata est: cuius rei occasione D. Augustinus ad Aurelii Carthaginensis Episcopi preces, librum de opere Monachorum elucubravit, in quo prefati Apostoli auctoritate & exemplo, Monachis onus omnino subeundum ostendit manualis laboris. Mabill. de stud. Monast. part. I. cap. XIV.

(1) Letta Synodus Side habita adversus heresim Massalianorum, hoc est, Euchetaram, seu Adelphianorum. Praesuit Synodo Anphilochius Iconii Episcopus, confidentibus & aliis viginti Episcopis. In eodem ipso libro lecta est ipsius Synodi ad Magnum Flavianum Episcopum Antiochiae Synodica epistola, rerum gestarum rationem reddens. Quapropter etiam ipse Flavianus Synodum indixit adversus eosdem illos haereticos, accendentibus tribus Episcopis. Photius Biblioth. LII.

(2) Eodem tempore Massalianorum quoque heresis exorta est . . . Porro qui hujus erroris labe peritus corrupti sunt, opus manuum aversantur ut vitium, somnoque se totos dederentes, somniorum visae prophetias appellant.

tis ipsis testimonium D. Epiphanius indicat Macharius. Et quidem ea de re flagitium fuisset praetere tantum virum, quo nemo melius Euchitarum originem, & errores litteris prodidit, nec qui eorum prava dogmata validius refellit (1).

Quem

(1) IV. Hoc vero longe perniciossimum (Euchitarum) dogma ex nimia quorundam fratum impunitia manarunt. Qui quum recte aliqui de fide sentirent, vita ex Christi Domini prescripto instituente modum nequam intellexerunt: quatenus renunciare mundo, ac bonis se suis, & facultatibus abdicare, fortunas suas vondere, ac pauperibus diligere, crux ferre, ac serio sequi se mandarunt; non ut inter, & vobis quispiam esset, aut insempesiro bellaretur, ac suorum inter apes similis foret: quinimo fratrum manibus opus faceret, ac beatam imitaretur Apostolum, qui mundum valere jubens praeceveritatis existit Prosterea nullus est Dei famulus, qui non ad obtinendam iustitiam manibus suis opus exerceat, quo in egenos beneficis esse possit. Quod in unoquaque Monasterio ram in Aegypto, quam in aliis provinciis fieri certiorum: ubi iustitia grata sic ad opus invenire omnes, sanguinem apes quedam, qua ceram petibus, filias mellis ore comportantes, communem universorum Domini pro sensu suo celebrant Nec aliter feroci illi Dei in solida veritatis pectra, velut fundamento, stabilitate . . . pro ea, quam proficiuntur, arte, ministrissimas quaque operas singuli manibus suis excarent. Idem vero universam pene scriptorum ore pronunciatis . . . quum interea propriis, ut dixi, manibus, adiuncta spirituali exercitatione opus instituant, ne ab omnia laborent, aut in vanitas simulationes induerent; sic ut impii ~~hinc~~ ratione dogmata non du-

cent;

Quem tamen locum velim perlegat Mamachias, ubi
de laudibus vite operosa si minus multa invenier,
quaer eum delectent, sibi ipsi potius succenserent, qui
temere tantum virum vel commemorare ausus est.

A-

deant; neque ab eorum hominum, qui per nefas, ac
pauperum injuriam locupletati sunt, contagione, ac
maculis vindicare sese possint: nec illorum denique ci-
bariis carere, quod justis laboribus quotidianum sibi
victum comparare nequeant; sed ob moriam ex otio,
O inertia derivatam, ad locupletum mensas confugere
cogantur.

V. Apostolis vero a Domino praeceptum istud est;
ut divini verbi predicatione contenti essent; ne ex aliis
alias in urbes, ac loca praedicandi causa migrantes,
variis rebus distractaberentur. Dignus est enim operarius
mercede sua. Matt. 10. Et: Sufficit operario alimentum
suum. Timoth. 6. Quam eam ob causam Pastori-
bus, pro incredibili ipsorum in gubernandis populis oc-
cupatione, atque ecclesiastica procuratione, administrandi-
que labore perpetuo, divinum oraculum dicit: *Quis*
gregem pascit, O illius lacte non alitur? I. Corint.
9. . . Ut ne Presbyterum, vel Episcopum quotidiano
cibo indigentem constituant. Ob id populos adhortatur,
ut que ad alendos Sacerdotes necessaria sunt, justissimis
suis laboribus quiesita suppeditent, offerendis primi-
tiis, oblationibus, O reliquis id genus. Que quum in
potestate sua habeant, quibus regendorum a Deo popu-
lorum est commissa provincia, horum tamen usui plene
penitusque non indulgent, qui Deo perfecte placere se
velle profitentur.

VI. Illi enim tametsi e Sacerdotum numero sint,
ad sanctissimi sui secundum Deum in Christo Patris
imitationem (Paulum Apostolum intelligo) non o-
mises

Atque inde etiam facile est intelligere , quam per-
peram ; ne dicam improbe , mihi obsecerit Mamma-
chius , ea quæ de Euchitis narravi , ad Apostolos et-
iam posse referri . Quod cum sine nefario scelere ex-
cogitari non potest , tum longe id a me abesse , omnes
intelligunt . Etenim quid commune Euchitis cum
Apostolis ? Euchitæ enim , abdicatis rebus omnibus
ita unis duntaxat precibus se vacare arbitrabantur ,
ut omne aversarentur opus , & fucorum inter apes
similes ; ut verbis utar D. Epiphani , inerter atque
inutilem degerent vitam . At Apostolorum si quis ,
ut sacrum manus obiret , operi manus unquam minus
admovit , bono id publico factum esse , quis
debit dubitare ? Vel quis potius in eisdem Apostolis
non suspiciet incredibilem pene dicain animi moder-
tionem , qui omnem habentes potestatem ab aliis
vitæ necessaria sumendi ; attamen , quo posteritas omnis

F presa

mnes quidem , sed plerique tamen ad suscepitam divi-
ni verbi predicationem externam manuum operam ad-
ungunt ; quamecumque denum artem adepti sint , quo
nec a dignitate sua , nec ab Ecclesiæ cura , quam per-
petuam gerunt , abhorreat : ut ipsorum conscientia ,
præter illud divini verbi predicandi laborem , propria-
rum manuum fructum serens , ac cum sibi ipsi , tum
fratribus , & gentibus operis sui quæcum impertiens ,
voluptrate persundatur : hoc est tam primitias , & oblat-
iones , quam quod manuum suarum opera lucelli qua-
sierit cum proximis suis ulro pro ardentí in Deum amore
communicet . Atqui nulla ad id agendum necessitate
coacti damnatique sunt . Sed quum justissimos alios
labores , & ecclesiasticas occupationes habeant , & pro eo
atque aquum est , ali indidem debeant , abundantia
quadam virtutis , & prolixa voluntatis ut sibi oneris
imponeant . Heres . LXXX .

præclarissimum haberet abstinentiarum exemplum, sæpe labore manuum suarum victum sibi compararunt? An perum id testatum reliquerunt in suis monumentis? Et tamen Mamachius ex verbis meis id elici posse autumat, prava nimurum Euchitarum decreta, quidquam cum sanctissimis & rectissimis Apostolorum institutis habere simile: quasi ego iisdem in scriptis meis minus sæpe, Apostolorum prorsus exemplo, desidiana & inertiam e republica longe amandandam esse censuerim.

Atque illud profecto est, in quo nulla ad cognoscendum venia ei dari posse videtur, quod ea maxime in scriptis meis invidiose criminatus est Mamachius, quæ ego maxime ad veterum sanctissimam disciplinam conformare præ me tuli. Neque id sine præstantissimorum virorum exemplo: nam ut ceteri alii desint, quis haec tenus eadem de re non celebravit studium Claudii Fleurii, cuius sapientissima scripta nulla non admirabitur ætas? Atque utnam ego tanti viri industriam assequi possem! Fortasse non male mererer de meis civibus. Nam quid est, quod mihi quaquaversus invidiam creet Mamachius, quasi ego omnes omnino, sine ullo discrimine, Monachos ad opus faciendum detruserim, Presbyteros dumtaxat feriatos esse concupiverim? Errat profecto, & vehementer errat Mamachius, si talia hæc de me finget. Non is ego sum, qui res novas unquam appetiverim, aut diversam ab aliis agendi rationem probaverim. Multum enim interesse puto inter suauorem facti, & probatorem. Factum ego, hoc est, manuuen opus in Cœnobitis veteribus probavi: fieri autem nunc temporis id expediat, an secus, nunquam mei esse judicii arbitratus sum. Attamen quoniam ad id me provocat castigator meas, quid vetat aliquid & ea de re proloqui? Mea hæc est ratio, quam cupio itidem Mamachio esse acutissimam. Sæpe ego
ac-

accepi ab amplissimis illis ac sanctissimis viris, veteres illos monasticæ vitæ cultores, sive Solitarios, sive Cœnobitas, quæstum novisse nullum, fructum autem eum maxime, quem labore peperissent, qui que identidem satis esset ad suum ipsorum victum, & ad ceteris etiam indigentibus erogandum. Audieram nimurum hanc prorius suisse probatissimam Monachorum vivendi rationem, quam nobis descriptam tradidit magnus Augustinus, dum dissimilitudinem, quæ inter Ecclesiæ Catholicæ, & Manichæorum mores intercedit, ostendendam suscepit (1). Succurrebantque exinde, præter innumeros alios, duo illa perfectæ sapientiæ, summaque probitatis exempla, Basilius (2), & Gregorius Nazianzenus (3), qui

F 2 quo-

(1) *Nemo (Cœnobitarum) quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manus ea, quibus & corpus pasci possit, & a Deo mens impediiri non possit. Opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant, eo quod sint denis prepositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutare, ut ad solet, valerudini Sane quidquid necessariae victus redundat (nam redundat plurimum ex operibus manuum, & epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis, qui distribuunt, comparatum est. Nullo modo namque satagunt, ut hæc sibi abundant, sed omni modo a- gunt, ut non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, que inopes incolunt. Non opus est plura de re notissime dicere.*

(2) *D. Basili. epist. 1.*

(3) *D. Greg. Nazianz. epist. 9.*

quousque Monachorum vitam professi sunt , ita temporis vicissitudines dispertierunt , ut modo piis meditationibus , modo lectioni & studio maxime rerum sacrarum , modo manuum labori operam dantes , nullam a cura vacuam horam traducerent . Si vero unquam evenisset , ut ille laboris fructus minime sufficeret , tum illis non deerant piorum hominum largitiones . Atque ita D. Pauli sine fraude parere praecepto arbitrabantur , qui eodem studio & quemque suo operi vacare , & per divites Ecclesiæ ministris necessaria vitæ suppeditanda mandavit (1) . Hæc , quæ verissima sunt christianæ vitæ documenta , nullam video esse causam , quare nostris hisce temporibus minimam debeant habere vim . Cur vetera virtutum exempla , sicuti laudibus extollimus , ita si quis usu etiam apud nos fore revocanda affirmet , num jure quisquam eum reprehendere posset ? Quum tantus sit Monachorum cuiusque generis in universa

ca-

(1) *Sicut ergo non cessavit Apostolus , immo Spiritus Dei possidens & implens & agens cor ejus , exhortari fideles , qui haberent hujusmodi substantiam , ut nihil decesserit necessitatibus servorum Dei , qui celsiorum sanctitatis gradum in Ecclesia tenere voluerunt , ut spes secularis vincula curvatae preciderent , & animos libertati divina militie dedicarent ; sic debent & ipsi preceptis ejus obediare , ut compatiantur infirmis , & amore private rei non illigari manibus suis in commune labonare , propositis suis sine murmure obtemperare : ut hoc suppeditetur ex oblationibus bonorum fidem , quod labonibus ; & aliquid unde vittum trahigantem operantibus , propter infirmitates tamen corporales aliquorum , & propter ecclesiasticas occupationes , vel eruditioinem doctrine salutis , deesse putaverint . August. de oper. Monach. n. 19.*

catholica Ecclesia numerus , si eos inter illos demas , quos merito ab opere immunes fecisse Augustinum , supra demonstravimus ; quid obstar , quo minus certi omnes , qui otio satis abundant , honesto alicui labori dent operam ? Quam suscipient Monachi turpitudinem , si ea exerceant opera , quæ Augustinus illis prescripsit , nempe fabrorum , structorum , suorum , rusticorum , & his similia ? Quam maculam contraherent , si officinæ artesque in eorum claustris institueantur pingendi , fingendi , cælandi , aut architectonices , quæ liberales merito habentur ? Quid si librariorum , atque omne typographicum artificium , quod hoc tempore latissime patet ? Quid dicam de agricultura , quæ libero ac nobili homine digna semper fuit , & fructum habet ut innocentissimum , ita quoque ad omnem vitæ cultum uberrimum ? Atqui hæc olim Monachis obeunda exercitia attribuerat Ephrem Syrus in sua Parænesi XLVII , nemæ funiculos efficere , sportulas operari , eleganter scribere , modo divinos sermones in fide & veritate scriptos ne depravent . Item punctis distinctum opus efficere , storeas , chartam coccineam , thecas sive peras , canistra , & lina operari , vermiculata opera , antennasve , & lintea facere , pistrinum exercere , hortum colere , & alia ejus generis , quæ ordine ibi a sanctissimo Monachorum institutore describuntur . Hæc , inquam , & his similia opifia si Monachi , ut olim , ita nunc profiterentur , quod dedecus eorum dignitati aspergi posset ? Nonne potius opus aggredirentur cum suo munere dignum , tum quoque reipublicæ maxime utile & salutare , tum etiam Ecclesiæ gratum ? Noune hæc una esset ratio , quæ profanis omnibus maledicendi ansam auferret , simulque ab omni , qua jamdiu laborat , invidia , exoneraret sacratissimum Monachorum Ordinem ? Agendum , Mamachi noster , bona yenia dic ,

quoniam jam Patrum scripta ad unum omnia devo-
raſti , ea non ut intelligeres , sed ut depravares ,
attamen si fide bona agere vis , dic , inquam , num
quid his in dictis nostris invenis , quod cum
ipsis Patrum sententiis omnino non conveniat ? Nisi
unam calumnjandi & conviciandi artem didicisti , ar-
bitror , nihil tale compieries .

Sed ne forte quidpiam silentio me fuisse præter-
vectum , queratur , opere pretium est attendere
conclusionem illam , qua maxime delectari videtur
Mamachius , quamque tanti esse roboris putat , ut
nulla ei ratione responderi posse arbitretur . Sic igit-
tur , nec uno in loco , ait . Si in veterum monu-
mentis Monachos opere manuum suarum vietum sibi
quaesisse legitur ; ita pariter Clericos ex suo cujusque
opificio vitae necessaria sibi comparare , jussum fuisse ,
ibidem invenitur . At quemadmodum posterioribus
temporibus non injuria ab ea lege Clericos solutos
cernimus , ut sine opere ex facultatibus Ecclesie a-
lantur ; quidni eadem uti facultate Monachis licebit ,
ut ex rebus Monasterii , sine ullo labore , habere vite
commoda possint ? O plumbeum pugionem ! Quid ?
Idem prorsus fuisse Clericorum , ac Monachorum insti-
tutum censet ? Nonne porro , non qui antiquitatum
christianarum chartas impleverit , sed qui Christianorum
rudimenta didicerit , dissimile fuisse utriusque Ordinis
institutum , ac disparem rationem , novit ? Quam
institutionis dissimilitudinem & nos supra ex ipsa
christiana religionis ratione , ac testimonio Hierony-
mi demonstravimus , & plura alia ex omni antiqui-
tate referre possem monumenta , nisi in re mini-
me dubia testibus uti non necessariis vererer . Nimi-
rum Ordo Clericorum ita divinitus habet a Christo
Domino missionem , ut ad unum sacrum Ecclesie
ministerium vocatus , terrenis aliis curis sepositis ,
sicuti altari omnem suam operam impendit , ita de-

al-

altari sustentandæ vitaæ necessaria p̄cipiat. Extantque ecclesiasticae sanctiones, quæ inter Clericos quemquam accenseri verant, nisi certo is in Ecclesia addicatur sacro ministerio. Quod si quandoque apud veteres statutum legamus, ut Clerici opificio aliquo, modo sine ministerii sui detrimento, vi-
tum sibi compararent; factum id tamen est quo tempore Ecclesia minus multis abundabat facultatibus, ut ministris suis necessarios vita sumptus suppeditare posset. Addo etiam, optimo consilio Ecclesiam socordiam omnem a Clericis quoque repellere voulisse, ne quis, etiam sacri ministerii causa, in republica boni atque utilis civis officia deserere reprehenderetur. Verumtamen eam operis vacationem non injuria sibi vindicare potuisse Clericos eosdem, indicat saepius iterata Pauli sententia; indicant exempla ceterorum Apostolorum. Hæc profecto instituti Clericorum ratio. At longe secus dicendum de instituto & conditione Monachorum. Eos enim, quamquam magni corum dignitas attulit Christianæ religioni splendorem, non ad id principio vocatos constat, ut sacrum in Ecclesia exercent ministerium: sed potius ut mundanis facultatibus omnibus valere jussis, in una defixi rerum divinarum contemplatione, in Ecclesia præberent illud Evangelicæ perfectionis exemplum, quod in primis illis Christianis illustre fuisse cernimus. Et quo rerum humanaarum contemplationem magis testatam facerent, illud cum primis adoptarunt institutum, ut manibus suis sibi vicinum quererent, præsertim quum minus multis rebus egerent. Sique deinde Monachi Mendicantes exorti eo tempore sint, quo, collapsa Clericorum disciplina, sacra & ipsi assumpta ministerium; veniente tamen eosdem liquet in adjutorium Presbyterorum. Quæ ratio quam minimam hoc tempore habent vim, ignorare nemo potest.

Sint vero Coenobitæ ad sacramentum etiam rerum munus assumpti : nihilo tamen minus sacri characteris causa ipsis vacationem ab opere tribui non posse , non ego , cuius nullum est judicium , sed confirmat Mabillonius disertissimis verbis , cui hac præfertim in re denegari fides nullo pacto debet . Recita testimonium Mabillonii : *Sed quamvis verum esset* (1).

Et ne res summo iure agere videamus , demus eadem lege , & similiter Clericos , ac Monachos ad opus faciendum suisse addictos . Quid tum ? Num ullo in loco scriptum a me suisse docebit Mamachius , Presbyteros universe ab omni opere immunes esse debere ? Nunquam id a me factum inveniet . Sic enim semper exultimavi , ad Presbyteros maxime , ex divina institutione , pertinere , omisis ceteris curis , unam gerere procreationem Ecclesiae . Quotquot autem ab ea curatione & administratione vacant , eos omnes , non modo Monachorum exemplo , sed multo etiam magis ex civili institutione , exemploque Apostoli , manuum opus exerceant oportet . Idque ego satis plane ostendisse video in Adnotationibus auctoritate Constitutionum ,

uti

(1) *Sed quamvis verum esset* , Clericos seculares ab eo (labore) esse immunes ; privilegium tamen hoc Monachis sacri tantum ratione characteris competere nequit . Cum siquidem duplicatum onus ipsis incumbat , partes nimurum Clerici , & Monachi simul persolvere , & cum opus manuale sit debitum pensum monastice professionis , ut jam alibi dictum ; insum propterea , non minus ac quamlibet aliam regularem occupationem , subire tenentur , nisi forte curis aliis impliciti cum eo prorsus incompossibilibus , merito exigant dispensari , ut dudum innui . De Stud. monast. ap. XIV.

ut vocant, Apostolicum (1). Ita nimirum non modo Canones Carthaginenses, sed omnium maxime ipsam christianæ religionis institutionem, & Pauli præceptum ferre cognovi, nemini, cuiuscunque sit ordinis, sine impensa opera in civili societate vivendum: nec ferendum, ut quis religionis & pietatis specie, in desidia ignaviaque vitam traducendo, industriosum corrodat facultates. Quæ quidem macula hujus nostræ ætatis Presbyteris objici nullo pacto posse videtur. Quotum enim quemque Presbyterorum videre nunc est, qui omne propemodum illud, quod sacro ministerio superest temporis, idoneo aliquo non impendat operi? An quisquam apud nos vel diligentissimus pater familias tantam suscipit in tuerenda re familiaris cogitationem, quantam in universa rei domesticæ administratione curam gerere Presbyters, vulgo videmus? Itaque faciendo, ii non inutili, meo iudicio, reipublicæ impendere operam, merito videri debebit. Parent nimirum divinis Pauli monitis, qui ministros Ecclesiæ tunc præcipue operam suam probare affirmat, *Si domui sua præfæc-
ſe sciant, & Si fuorum, & maxime domesticorum
curam habuerint.* Quorum non contemnendam consuetudinem plurimum apud me semper valuisse, fator: eorumque diligentiam imitari, nunquam non laude dignum existimavi.

At-

(1) *Qui in Ecclesia juvenes esitis, curate in omnibus rebus necessariis sedulo ministrare: cum omni sanctitate operi vestro vacate, ut omni tempore & rebus, & egenis suppeditare possint, ne Ecclesiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vacantes verbo Evangelii, subcivitas operas non negligimus: alii enim pescatores sunt, alii scenarum artifices, alii agricole: nec inquam otiosi sumus. Lib. II cap. 67.*

Attamen clafitiat Ma[n]achius : Viclefi illa fuit opinio , Monachos adigendos ad opus : quam falsitatis jure damnavit Ecclesia . De Viclefo mihi ne is obiectet , cujus per Constantiense Concilium merito ut nefariam proscriptam fuisse sententiam facto? Dixerat enim ille in Articulo XLV : *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere , & non per mendicitatem . Cui sententiae hanc Concilium inuirit notam , quæ continuo sequitur : Prima pars est scandalosa , & presumptuose asserta , pro quanto sic generaliter , & indistincte loquitur . Ita enimvero scandalosa & presumptuose asserta foret sententia , si sine ullo discrimine ad omnes omnino Monachos opus pertinuisse unquam affirmasset : quod nusquam a me scriptum constabit . Etenim quamvis sit is egregius argutator , non aliter illud Viclefi mihi apponi poterit , quam si ullo in loco prolatum a me ostenderet , Monachis non licere ulla facultates possidere , propterea quod de labore dumtaxat manuum debent victum acquirere . Sed contrarium potius me sensisse , liquido apparet ex verbis illis , quæ in eisdem Adnotationibus leguntur . Sic enim scripsi : Quod non perinde dictum intelligi volumus , ac si hujusmodi devotorum hominum vitam idoneis opibus sustentari , vicio tribui , aut ullo pacto reprehendendum quis existimet . Sacra Christianorum Collegia suas facultates habere , aequum esse censeo , ac defendimus : modum dumtaxat adhiberi cupimus , ac sartam tectam servari sacerorum Canonum auctoritatem ; quam omni privato consilio potiorem duci , nemo sanus diffitebitur . Sententiam hac de re secuti sumus D. Hieronymi , qui sape alias , sed epistola ad Demetriadem , dum omni laude nobilium mulierum liberalitatem celebrat , in sublevanda domesticorum Dei inopia , interim Clericos , & Monachos emaces justa animadversione objurgat . Fer-*

tus

tur (*inquit.*) &c. Quam hæc totidem verbis legantur in *Adnor.* tom. i pag. 139 , quo ore audet *Viclef* nobis objicere errorres ? Quæ isthæc tanquam per-

versitas est ? Quæ tanta calumniandi libido ?

Jamne vides , Mamachi , jamne sentis , quæ sit hominum sapientum querela scriptorum tuorum ? Nemo non queritur indignissimis modis haec tenus acceptam a te theologiam : theologiam , inquam , quam tanquam filiolam ocularis tuam : quam veluti quamdam rerum divinarum possessionem , proprio quodam jure ita tibi usurpas , ut excludas alios , nec a quovis alio depasci sinas . Atqui si theologus esse vis , condiscas prius censeo paulo diligentius , quod veri theologi sit munus . Siquidem theologia , ut fertur , religionis & virtutis continet , officiique & bene vivendi disciplinam : quam qui profitetur , gravissimam mihi sustinere personam videtur . Tu igitur theologus ? An tum fortasse theologi gravissimum nomen recte tueri arbitratus es , quum per summam injuriam adversariis tuis invidiam creabas ? Quum eos calumniis onerabas ? Quum catholicorum hominum vel intimos sensus nunquam non deteriorem in partem interpretabar ? Quum quæ in certissimis an-
nalium monumentis luce clariora existunt , eis tu tenebras & noctem offundebas ? Quum in aucupia verborum , & litterarum tendiculas captando torus versabar ? Quid multa ? Atqui si hæc ex tuis voluminibus tolles ornamenta , toras chartas inanitate fore plenas comperies . Itane igitur decumo post anno (tot enim , eoque amplius annos totos spissum tuum & operosum opus , veluti saxum volvif- se

se compertum est) expugnato iterum Ilio , plaustrum istud absurdissimarum rerum perculisti , ut hominum prudentum nihil verearis reprehensiones ? Erras , mi Mamachi , si hoc esse theologi munus judicasti . Animo , mihi crede , theologum esse oportet , consilio , fide , gravitate , scientia bonarum rerum , toto denique munere theologum . Quas theologi partes poteras jam ex tuo Melchiore Cano perdiscere . Nisi forte eum , quem docti peraeque omnes summis semper laudibus ornarunt , tu contemnas , nec pro tuo accipias , propterea quod in colligendis tullianis dicendi modis nimis solers fuerit , ac satis studiose non modo verba , sed integras identidem sententias Ciceronis suis in scriptis inferuerit .

Tu , inquam , officium tum facere theologi autumnasti , quum mihi calumniouse , perque summum nefas insimulabas , me Ecclesiam , & sacros Ordines Monachorum carpere tentasse ? Nunquam quid loquare considerasti ? Nec tibi unquam succurrit , satis fore vel leviter evolvere quemvis meorum librorum , ut apertissime appareat , nihil esse a me unquam de Ecclesia , nihil de sacris Ordinibus , nisi optime & rectissime cogitatum ? Nam de Ordinibus Monachorum illustriora extant documenta , quam ut cavillator quisquam calumniari possit . Satis erit percurrere Adnotationem I primi voluminis , ubi haec inter alia leguntur : *Monastici Ordinis institutum , ea ferme ratione , qua nunc in universa Catholica Ecclesia , rem minime novam esse , aut recentem , paulo accuratius demonstrandum hic est , quum non defuerint improbi homines , hodieque etiam non desint dicaculi complures , qui eam institutionem , ut recens adinventam , atque adeo etiam supervacuum traducere non vereantur . Enarratoque totius monastici instituti ortu & progressione , res tota sic tandem absolvitur : Hac de origine & progressu mo-*
na-

naſtice disciplina monuſſe oportuit ; unde facili ne-
gotio , contra quam plerique ſenſere , dignoſci poſt ,
rem minime eſſe recentem , aut otiosorum hominum
commaentum , ſed cum ipſo Evangelio ſere prognatam ,
propagatamque in universam Eccleſiam , eamque at
conſervatricem , & aſylum purioris christiana pietatis
ſemper fuſſe . Aliud eiusdem ſententia ſeſtimoniū
ſupra recitavimus . Quid tanta ſedulitate ſcripta
mea perſcrutatus eſt ? An ut nodum in ſcirpo que-
teres , & hæc , quæ laſtere non poterant , te unum
fingerent ? Atqui ea fatis funt , ut tuam calumnian-
di libidinem nūquām non redarguant . De Ec-
cleſia vero quid unquam a me prolatum eſt ,
quod obſequii & reverentie erga illam non ſit
pleniffimum ? Nam quæ iſta erit infelix condi-
tio , ut obtrectatori , & malevolo cuivis lice-
at impune eiulimodi nefarias injurias irrogare , quæ
homini catholico non poſſunt non eſſe moleſtissimæ ?
Etenim de Eccleſia (audi , atque attende , Ma-
machi , ut ſcias , quid ego de Eccleſia ſentiam ,
& quid haſtentus ſcripferim) mea hæc fuit , erit
que ſententia , eam Dei O. M. ſingulari numine
fuſſe ortam , educatam , & munitam , ipſo con-
ſtituto Capite , & Chriſti Vicario Romano Pontifice:
adversus cujus ſtabilitatem vanos omnino futuros o-
mnes improborum conatus , omnes falſorum pru-
dentum machinationes . Eamdemque non humano
ullo confilio , ſed pietate & religione , atque hac
una ſapientia , qua ſcilicet ſummi Numinis voluntate
omnia regi gubernariquè perſpicimus , apud omnes
gentes nationesque , ad omnem ſeculorum perenni-
tatem eximiam ſemper & ſanctam habitum iri .
Et ne plura de re minime dubia loquar , ſicuti ne-
mo , niſi in ea , ſalutis ſperm invenire poſt ; ita
Christianorum uniuersuſque intereſſe , eandem Eccle-
ſiam ab omni macula , quam unquam imperitorum
am-

ambitio ei inurere tentabit, vindicare. Quod si Christiani cujusque, illud maxime omnium sacrorum Pastororum, atque etiam cunctorum Ministrorum munus esse, cum recta vivendi ratione, tum etiam doctrinæ puritate, splendidissimum illius lumen ac dignitatem ab omni labecula tueri, integrumque servare. Quin etiam nullum majus Ministrorum esse officium puto, quam maturius pravas hominum consuetudines, & minus rectas opiniones, quæ abhorrent a vera christiana pietate, rejicere ac profligare; nec locum relinquere, ut a profanis prius ea nobis objiciantur, quæ sine offensione defendi non possunt. Ita prorsus fiet, ut quum quæ reprehendenda sunt improbemus, ostendamusque non compendii & lucri causa instituta religionis profiteri ac defendere, facilius, atque haud scio an unquam melius, ipsum purissimum Dei cultum, quæque ad sanctissimam Ecclesiam, & religionem pertinent, tueri poterimus: etenim habere quæstui Religionem, non modo turpe est, sed sceleratum etiam, & nefarium: atque adeo periculum est, ne, dum quæ minus decent, defendere contendimus, universa amittamus. Evidem hæc didici, hæc scripta legi, hæc de sapientissimis & clarissimis viris Ecclesiæ monumenta nobis prodiderunt. Quæque ego in totius operis conclusione satis luculenter declarasse videbar verbis illis: *Quæ animi mei sensa dum profero, nolim quis existimet, quidquam me ecclesiastice dignitati detractum velle. Longe id a me absesse testor, qui sacratissimi ordinis alumnus christiane religionis decreta, atque almae parentis Ecclesiæ precepta pro eo ac debo, veneror & amplector.* Sed propterea quandoque his in annotationibus non dubitavi sententiam meam sine ambagibus aperire, ut penitus redarguatur opinio eorum illa, que jam pridem in veteravit, perniciosa Religioni, cunctaque Ecclesiæ

pe-

periculosa , Sacrorum Ministros maxime compendii sui causa instituta Religionis profiteri . Que nefaria sum cum omnium interesse puto , ut penitus de medio collatur , tum nulla alia ratione commodius repellit posse existimo , quam si , ut qua recta sunt defendimus . O propugnamus ; ita si quid unquam virtutem , quoniam nunquam agnoverit Ecclesia , paucorum improprietate , aut imperitia irrepserit , illud nos ultra rejeciamus , O reprobandum ducamus .

Nam , per Deum immortalem , non vides , Mamachi , in quo motu temporum , quanta in conversione rerum , ac perturbatione versemur , ut recte in summum adducta discrimen esse videatur ? Non tibi succurrit , quae nunc sit perversorum hominum temeritas & audacia ? Sic enim arguunt : Ipsi religionis interpres & custodes ita vitæ suæ instituunt rationes , ut religionis specie , suis tantum commodiis inserviant : nec aliter , quam unius quæstus , & otii causa , tanto studio Ecclesiæ defensores videri volunt . Putas nos amplius pati posse , eorum calliditate nostram diptius ludificari imperitiam ? Capitalis quidem oratio : dicunturque ea quidem imperitissime , vel potius impie ac nefarie , quis neget ? At inde pietatis depravationem , & contemptum religionis , atque adeo impietatis originem oriri , itidem negari non potest . Hæc , hæc profecto exitiosior , quam unquam alias , christianæ Ecclesiæ est persecutio . Hanc quotquot Christiani esse cupimus , metuere & cavere debemus , nec sinere , ut malum in dies crescat . Has prorsus hoc tempore germani theologi partes & officium constare oportet , nefariam hanc opinionem de mentibus hominum , quantum nisi , & contendere possimus , evellere ; & facrum Ordinem Ministrorum , quem paucorum perversitate in sermonem , invidiam , vituperationem adductum non sine dolore cernimus , eum , inquam , levare ~~pro~~ vil-

vissima infamia , ab eo omnem suspicionem propulsare , bonaque ac pristinam ei restituere existimationem . Minime a te , Mamachi , haec tenus probatum esse institutum istud , scio . Atque idcirco quavis te dignum animadversione praebes , qui eam uairo sacro Ordini exitialem flammam , quam quotquot de christiana religione recte sentimus , restinctam esse cupere debemus , hanc per te scriptis tuis magis magisque sufflari , boni omnes ægre ferunt . Et enim , si vere loqui velimus , quid aliud haec tenus tua scribendi ratione egisti , quam , dum avaritiae , & divitiarum patrocinium suscepisti , sacrum Ministerorum munus quaestuosum & lucri cupidum exhibere , ipsam purissimam religionem pretio addictam habere , omnino ceteris obloquendi causam præbere ? Et doles proinde , & accusas ea a me fuisse usurpata verba Hieronymi : *Nunc sub religionis pretextu excentur iusta compendia?*

At mihi , ais , a pestiferorum Christianorum perniciosis doctrinis sanctam Ecclesiam vindicare propositum est . Praeclare . Rem facis nunquam non laude dignam , ac bonis omnibus gratissimam . Verum in eo totam te viam errasse , si rem aquiori animo expendes , facile intelliges . Nam illud cum primis animadvertere , & cavere oportebat , Ecclesia ipsius ne violares sanctissima documenta , quæ nunquam monere desinit , neminem lædendum , singulos homines humaniter , quantum fieri potest , ac beneficentius tractandos : aberrantes non contumeliis , & calumniis , sed caritate potius , & mansuetudine in viam esse revocandos : ubique imitandos Apostolos , qui religionis mysteria sine ullo reipublicæ detimento , aut perturbatione ubique disseminarunt : in quorum gestis rebus nihil unquam cernere est , unde eos Evangelium venale & quæstuosum habuisse appareat . His prorsus artibus ma-

jo

iores nostri , resecato humanæ philosophia timore , cælestis sapientia inibi maxime fundamenta jecere , ubi maxime omnium superstitione cum infinita depravatione vigebat . Sanctissimique Patres eo præsertim argumento usi , abhorrente prorsus a Christianorum institutis maturius demonstrarunt , quod quam profiteri , aut moliri , quod rationibus bene constituta reipublica officeret . Nec eos uti Mary- res unquam suscepit Ecclesia , qui , quum rem aliam contra Imperii rationes ausi essent , mortem pro religione obirent : non enim ceaserbat genus mortis , sed causam esse querendam . Ceteri deinde præstantes viri redarguendos Ecclesie holles iusta animadversione putarunt ; conviciis & mendaciis insectandos non putarunt . Vetera hæc fortasse non nimium valitura , inquies . Vin recentiora ? An validius quam' alias S. Romanæ Ecclesie auctoritatem defendet quam Baronius , quam Pallavicinus , quam Bellarminus , quam Majellus , quam Ursus , quam certi ali viri doctissimi ? Et tamen quod maledictum , quod probrum ab eis profatum opponi potest ? Tua autem ratio ab eorum ipsorum scribendi ratione , quam longe sit dissimilis , nondum intelligis ? Nam illud quidem qui ferri potest , te , ut a turpi convicatoris nota tete vindicares , sanctissimos cuiusque ætatis Patres , quin & Apostolos ipsos , ipsumque (quo nihil adhuc sol vidit indignius) divinum præceptorem Christum Jesum in criminis societatem vocare ? An errantium male facta , aut maledicta , benevole , & , si vis etiam , gravius quandoque reprehendere , unum idemque prorsus esse putas , ac hominum honestorum existimationem conviciis de trivio arreptis , sèpe etiam turpisimis calumniis , benefactare ? Illud scilicet saepe fecere Christus , Apostoli , ceteri ; atque idcirco benevoli objurgatores habitu sunt : hoc prorsus omne est tuum :

socium habes neminem , præterquam improbos obtructatores , qui propterea maledici conviciatores nunquam non sunt appellati .

Atque etiam Clementis XIV Pont. Max. Epistolam commemoras . Utinam , Mamachi , sapientissimi Pontificis divinis documentis unquam paruisse : nunquam , mihi credas velim , in istum locum descendisses . Quid enim habet Clemens Optimus suis in litteris , quod cum instituto tuo quidquam habeat commune , aut simile ? Pontificem hunc , divini animi , ingenii , consilii magnitudine vere Maximum , singulari Dei beneficio de cælo opportune delaplurum fateri debemus : cuius vel hoc uno arguento mentem divino numine regi compertum esse debet , quod , quem difficillimorum temporum rationem probe nollet , & quam longissime in posterum provideret , in regenda Ecclesia consilia omnia sua beneficentia , clementia , mansuetudine , indulgentia moderanda esse dicit , non aceritate , non alperitate rem christianam vindicandam . Quo sapientissimo instituto & haec tenus eum auctoritatem suam cum dignitate retinuisse intelligimus ; eumque quietis publicæ & pacis auctorem complexi , sua providentia & divino consilio res ad otium , & communem catholicæ Ecclesiæ diu optatam tranquillitatem perventuras confidimus . Atque utinam , Beatisime Pater , temporum difficultatibus tandem sublatis , ad Christianæ Reipublicæ gubernationem meliori otio communi tibi frui liceat : profecto pro tua summa rerum gerendarum potestate , qua spe orbem terrarum universum erexit , eam reipla , & immortalium tuorum operum monumentis confirmatam jam , ac cumulatam cerneamus : quamque jam pridem excitasti excelsorum actuum , rerumque divino animo tuo conceptrum nostram cupiditatem explevilles . Sed quæcumque

com-

commemorari possunt , nunquam satis erunt , ut tanti Pontificis pro dignitate nomen celebretur . Illud in præsentia prætereundum non videtur , non nulla ex ejus Epistola hic referre , quæ ad rem faciunt . Nam vix dum Pontificatum Maximum regendum suscepit , nihil habuit prius , quam hortari ac monere singulos Ecclesiarum Pastores , ut omnes diligentiae & auctoritatis vires in eo exerant , ut novarum de rebus divinis opinionum grassantem temeritatem & insaniam repellant ; sed quibus armis , attende , Mamachi : *Non in corruptilibus ac vanis humanae sapientiae presidiis , sed in simplicitate doctrine , ac Verbo Dei penetrabiliore omni gladio aincipiti duntat Vos illud consecuturos confidite . Atque ut alia , sic hoc , Bottari , præclare , quod statim , eosdem Pastores Ecclesiæ alloquens , addit :* *Tum hostium impetus coercere facile poteritis , atque adversariorum tela retundere , cum in omnibus sermonibus vestris Jesus Christum crucifixum prefereritis ac predicabis*

... Mirifica siquidem Pastoris vis est atque auctoritas ad sui Gregis animos commovendos . Qui cum illius cogitationes , actionesque omnes ad hoc vere virtutis specimen conformatas noverint , cum in illo nihil aperum , nihil alatum , verum omnia caritatis , mansuetudinis , humilitatis officiis plena viderint , tum vero acerrime ad easdem amulandas laudes incitatos fese sentient . Præterea cum eundem omnis privata utilitatis oblitum , ceterorum commodis inseruire item , opibus egentes , solatio afflictos , doctrina rudes , omnes officio , consilio , pietate sublevantem , Populi denique salutem suæ ipsius vita preferentem intelligent ; hoc Pastoris sui amore , studio , ac sedulitate illecti libentissime docentis , cohortantis , obsecrantis , arguentis etiam , atque increpantibus voces audient . Nam si qui privatarum rerum cupiditate obstricti sint , ac terrena divinis preferant ; quo pa-

Elo poterunt alios ad Dei caritatem , ac mutuam inter se benevolentiam , dicitis , voluptatibus , honoribus inhiantes ad rerum humquarum contemptum , fastu ac superbia elati ad mansuetudinem atque humilitatem inducere ? In Jesu Christi igitur disciplina erudiendi Populi cum minus sit a Vobis suscepsum , in ejusdem potissimum sanctitate , innocentia , lenitate vobis erit inharendum . Haec quidem inter alia sunt , quæ a Clemente XIV Pont. Max. divinitus prescripta video , quæque idem maturius ab unoquoque Christianorum maxime cognita & perspecta haberi vehementer optat . Quod quidem totum , quum cetera propemodum omnia recitasse , Mamachi , silentio fuisse a te prætermisum , minime miror . Non enim usque eo despisiisti , ut non intelligeres quantum verba illa tibi incuterent pudoris , quamque tuam in scribendo temeritatem redarguerent . Sed quum tam absurdè tot exempla , tot monumenta coacervasti , tot amplissimorum virorum nomina appellasti , certe aut lusisse in tantis rebus , aut profecto nescio quid spectasse videris .

Sed tamen te a me , Mamachi , utcunque de me tam male meritus es , pro mutua hominum inter homines necessitudine , monendum esse etiam atque etiam pato . Collige te , & circumspecte aliquando . Audi viros bonos , quorum ingens isthic in tam amplissima civitate numerus . Loquere cum his sapientissimis hominibus sapienti , quam tu ipse tecum : tum denique , qua ratione in scribendis rebus Ecclesiæ utendum , noveris . Cavesis proborum hominum & honestoruim nomen posthac scriptis tuis invidiose traducas : atque adeo , si nihil ipse habere negotii velis , aliis ne exhibeas , hortor . Qui quanquam pro christiana dilectione & disciplina , omnem contumeliam & injuriam ultro remittendam censeant , tamen illud etiam secum reputant , quum falso quis-

ac-

accusetur, non esse interdum negligendum. Quorum fortasse quisquam, si nervos & industriam intenderit suam, mihi crede, cornicis oculos configet; & quamvis sis columen litteratorum, excutiet tibi istam vaniloquentiam; quin te ex somno saepe excitabit. Qui sis, considera, ubi sis, unde sis, quo tempore sis. Religiosa vita institutum profiteris, idest cultor esse debes evangelicae perfectionis, perferreque virtutis exemplum teipsum praebetas necesse est. Roma es: quae urbs sicuti olim domina fuit gentium, ita nunc illud habet divinitus collatum beneficium, ut Caput sit Religionis; ac proinde pietatis & virtutis cultrix cum maxime esse debet. Es alienigena, atque ex ea natione, cuius fides & religio suspecta merito semper fuit. Seculo es XVIII, quo tempore, sapientum judicio, temeritas improborum comitate & reste factis est lenienda, non opprimenda acerbitate. Quod si is es, qui aliquid habere capis, ubi tuum in catholicam Ecclesiam studium & diligentiam probari velis, non deerit bonarum rerum amplissimus campus, in quo ingenium tuum sine aliorum offensione illustrare poteris; unde etiam non parvam, atque ab iis, quos maxime velles, inires gratiam. Sed stilum, quæso, verte; & dictorum, scriptorumque fidem paulo diligentius excolas, moneo, ne quemquam in falsam & iniquam criminum insimulationem voces. Intuere in gravissimos illos e vera atque integra Graecia viros, quorum sermonis lepos, ingenii acumen, & copia dicendi nunquam non imitatione digna habita est. Omittas vero censeo dissolutam illam consuetudinem licentiamque impudentem levissimorum Graecolorum, præsertim Asiaticorum, de quibus maxime dictum accepimus, eos nunquam testimoniorum religionem & fidem coluisse. Sed finis esto: satis enim jam universas Mamachi crimi-

nationes refellisse me arbitror. Cum quo vehementer me egisse, & cum aliquo doloris sensu, fateor; iracunde, & cum odio, nego: credo autem aequo animo eum laturum querelas meas. Nam si invitus quandoque calumniatorem eum appellare hic cogar, eam consecutionem potius esse injustæ illius in me conflatae accusationis, omnes intelligent, quam quod calumniandi ejus fuisse animum, existimem.

Hæc habui, quæ ad calumniaæ mihi intentæ depulsionem, scribenda esse, meum fore existimavi. Eaque tibi cum primis, Amplissime Bottari, nota esse cupio, cuius gravitatem, constantiam, fidem, præstantemque sapientiam diu ego colui, & merito suo ut illustre veteris sanctitatis exemplum posteritas suspiciet. Ut quam præclare tecum agi putem, ei potissimum doctrinæ meæ rationem redere, apud quem non fucata doctrina, non scientia rerum perversarum, aut inutilium, sed recta bonarum rerum disciplina cum integris moribus plurimum semper valuit.

JO-

J. ANDREAE SERRAO

S. P. D.

Num verum, quod de te audio, Vir amicissime, ferias nimirum basce aurumnales, corporis, animique recreations destinatas, in Mamachio castigando te impendere? Si id, seriam te operam in re minime necessaria collocasse, valde me dolet. Scis enim, quam ægre eorum ipse tuberim consilium, qui, quamvis non eadem omnes doctrina, atque ingenuo, neque iisdem instructi ad disputandum præsidii, in Mamachium invecti sunt, quum satius fuisset, prosum eos filuisse. Doctum quidem ego, lubens fateor, deque Christiana Antiquitate meritissimum Mamachium semper babui. At ubi, qua nescio vertigine actus, seu spe, vel adulatio[n]e ductus, certissima Imperii jura concorreris sophismatis calumniari sibi præstituit; id perinde agere mihi visus est ipse, ac si trianguli tres angulos demonstrare suscepisset, non esse duobus rectis æquales. Quo irrito conatu ve-

reverem sui certe minuit, novum apud eequos
 rerum estimatores non est laudem conse-
 curus. Quod vero clari animi ejus super-
 biam magis patefacit, omniumque idcir-
 co in se concit iras, immodestum illud
 est, atque illiberale scribendi genus, quo
 non suos modo lacepsit adversarios, sed
 Grosum, Pufendorffum, Coccejos, aliosque
 inclita nota Scriptores parvi se facere
 passim ostentat; magnis quasi velit ipse
 bisce inimicitiss inclarescere; vel quasi,
 esset Heterodoxi illi fuerint, in eorum li-
 bris Fidei nos dogmata queramus, non
 Civilis Philosophiae doctrinam, quæ cum
 Religione nihil babes commune. Quid
 igitur confusatione ulla indigere tu
 pu-
 ras hominem suis adeo mancipatum affe-
 ctibus, suaque ratione tam manifesto abu-
 tentem? Quid alieno exsufflari calamo o-
 porrebis, qui suo captiosum ubique se pro-
 die virilisigatorem, eximumque sycopan-
 sam? Sine quæso, Monachum suis e ca-
 stis desilientem conclamat agere caussam,
 limpidosque divini, humanique Juris fon-
 tes sua pro libidine perturbare. Sine, no-
 vum, si Dñs placet, Civilis Disciplinae Docto-
 rem pugnancia loqui, atque immania bac po-
 pu-

pulis obtrudere dogmata: bona Ecclesiarum
erit in Imperio sine, Imperii potestari minime
subjici: ea siquando Republica danico adeo
excreverint, ut coerceri sit opus, non ju-
dicum, non ferendarum legum jus sum-
mi esse Imperii: esse vero Sacerdotii Rei-
publicae mali mederi, atque ab eo, si cen-
suerit, remedium omne expectandum. Si-
ne, inquam, scribere petulanter, eminens
Summarum Possessatum Dominium nupo-
rum esse Arminiani Grotii figmentum; dia-
que plurima effutire paradoxa, quæ sicut
faciant rerum harum minus peritis. Quid
enim? Num bonæ causæ aliquid reveris
inde periculi? Num bene constitutis Civis-
tatum systematis obscuras quandoque pu-
tas has Mamachis argutiones? Falleris.
Sua quidem Regibus, atque Dynastis im-
mota jura stabunt, quo omnis ætas, Gens
omnis, cunctique probabunt rerum divina-
rum, humanarumque vere Sapientes. Quis
vero ipsa probabit universa Christi Ec-
clesia, spiritalis, anteriorisque autoritatis
opime sibi conscientia suæ, satisfaque contenta.
Mamachianum contra turbidum, sedis
sumque opus blattæ manent, sempiternaque
oblivionis non, quæ vix erit ad interitum
da-

damnavit, obruitque *cetera bujusmodi impudentium affentatorum* sensamina. Quid quod vel sinceroribus ipsis inter Romanos Eruditis abortivum hunc Mamachii factum stomachum jam fecisse, non semel nunciatum est? Manum igitur de tabula, Vir eruditissime, ne autumnali hoc ocio, quod tibi fecit, mibi Deus negavit, perperam videaris abusi. Vale, teque ad utiliora serva, ranasque sine coaxare. Neapoli Idibus Octobribus MDCCCLXXI.

J. ANDREAS SERRAUS

JOSEPHO CANTORIO

S. P. D.

Ego vero libenter, doctissime Cantori, paruisse suis monitis amantissimis, nisi me certa ratio, ne non cum adversario sam parum exquo conquererer, adduxisset. Neque enim me fugerat, vere dictum videri, non valde esse laborandum, quid de nobis obloquansur obrectasores: quorum maledicta nulla re magis, quam contentione retundit solens; responsione autem

ir-

irritari eorum animos, potius quam desereri. Sed quoniam ea de me criminatori meo scriptis prodere collibuit, quæ dissimulare, aut silentio praescribere, non tam sapientia, quam incognitiae & stupiditatis effet indicium; collatis subductisque rationibus, omnino mibi faciendum puravi, ut injuriam Mamachii accusationem iusta animadversione cobiberem. Nam quum rebus in omnibus nihil babuisse antiquius, quam, pro eo ac Christianum quemque decet, nunquam de Ecclesia, nisi rectissime atque optime cogitare, ac scribere; nomine hominis parum considerati esse, eos de me sermones disseminari, & tacitum me pati? Praesertim quum in ejusmodi rebus magnopere oporteat probum unumquemque, non modo culpa, sed etiam suspicione vacare. Itaque Apologeticum scripsi, quo, omissis rebus aliis omnibus, immersam a me carminationem repellere, mibi propositum est. Quid censes? Cave pures tam magni negotii esse, rem adeo deploratam refellere. Adhibitoque insuper ab eo illiberali prorsus & consumelioso scribendi genere, nihil ad illius inhumanitatem addi posse videsur. Quem commentarium,

quam-

quamprimum typis confignatum ad Jobannem Bozzarium, virum spectatissimum, deque me optime meritum, mirendum constiui: quod meus factum, quam in partem sit ille accensurus, nescio. Quam vero vellem, ut tu Regium ius scripto defendendum suscepisses! Nam quum juris publici scientiam ex selectissimis monumentis tibi comparasse, basque de Jurisdictione disceptationes, quosidiano rerum gravissimarum usu, pro munere pertractare soleas; non erat tibi difficile, rem universam cum cause dignitate confidere. Sed novi instituti tui rationem. Eum se esse jam pridem sensi, qui res praestantissimas medicari satis habebas, abborreas vero a disputationibus & concertatione. Sed de re tota coram plura propediem, ut spero: iususque sicuri in rebus aliis mirificus amor ornamebro mibi semper fuit, ita nunc iudicium de me suum non iniquum futurum configo. Vale. VIII. Kal. Novemb. MDCCLXXI.

Ex Antiniano.

V.A.1
1508195